DE

DONATIONIBUS,

QUÆ FIUNT INTER CONJUGES

HONORIS CAUSA,

Occasione Legis 42. ff. d. Donat. int. Vir. & Ux.

CONSENSU AC DECRETO
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
In Academia Lipsiensi

PRO LICENTIA

SUMMUM IN UTROQUE JURE GRADUM
LEGITIMÈ OBTINENDI
Die 24. Maj. Loco ac tempore consveto
publice disputabit

BENJAMIN GOTTLIEB BOSSECK,
Gaudicio - Misnicus.

Anno MDCCIII.

DISSERTATIONIS
DE
DONATIONIBUS, QUÆ FIUNT INTER CONJUGES HONORIS CAUSA.

§. I.

SPecialibus multarum regionum conſtitutionibus ſancitum eſt, ut qui invicem individuam vitæ conſuetudinem ſibi promiſiſſent, iidem quoque res ſuas omnes inter ſe haberent communes; Quemadmodum de Hollandia & vicinis provinciis hoc teſtatur Sim. van Leeuwen *Cenſ. For. L. 4. c. 23. n. 8.* de regnis Portugall. & Arragoniæ Gomez. *Leon. deciſ. Hiſpal. 1.* de Ducatu Slesvicenſi & regno Daniæ Cypræ. *de Sponſal. c. 5. §. 14. n. 3. j.* Gudelin. *de Jur. Noviſſ. L. 1. c 8.* Mev. *ad Jus Lubec. P. 1. T. 9. a. 1. n. 11.* it. *P. 2. T. 2. a. 2. n. 16.* Plutarchus etiam, ſecutus in eo Platonem, tum demum exiſtimat, verè beatum fore matrimonium & æmulatione dignum, ſi penitus exinde tollantur voces iſtæ MEUM ET NON MEUM, & eam opum communitatem maxime conjugium decere contendit, *ſi in unam omnia congerantur atque commiſceantur ſubſtantiam, ut neutri liceat, quid ſuum, quid alienum, diſcernere, nec pars alia dica-*

Bonorum inter conjuges communio multis in locis recepta,

multisque valde laudata,

dicatur aliena, alia propria, sed omnia propria habeantur, nihil alienum. dict. Aut. in pracept. conjug. §. *34. seqv. it.* §. *62. seqv.* Licet vero hæc multis tantopere laudata bonorum inter conjuges communio nec æquitate destituatur, nec parum videatur conferre ad finem, qui matrimonio peculiaris est, felicius promovendum, Schilt. *Inst. Jur. Civ. L. 1. tit. 9. aph. 6.* quod tamen vel simpliciter necessarium fuerit, vel etiam admodum consultum, eandem Lege quadam generali stabiliri, hoc tantum abest, ut evinci queat ex conditione societatis humanæ in universum consideratæ, vel speciatim ex natura societatis conjugalis, prout eandem hodie nobis concipere debemus, ut ipsa potius utriusque hujus conjunctionis indoles argumenta nobis præbeat, quibus contrarium, si id ferret institutum nostrum, evidenter possemus demonstrare. Non igitur mirum videri debet, quod ejusmodi communio plurimis in locis per Legislatores vel plane non introducta fuerit, vel valde restricta. v. Chassan. *ad Consuet. Burgund. rubr.* 4. §. *2.* it. Sim. van Leeuwen *c. l. n. 9. & sequ.* Certe Juris nostri Justinianei conditoribus minime visum fuisse, ut ita fierent conjugibus omnia indivisa, veluti unum utrisque esset patrimonium, cum ex multis aliis dicti Juris textibus, tum præcipuè ex *L. 1. ff. Rer. amot. L. 1.* §. *15. ff. de SCt. Silan. it. L. 8. L. fin. C. de pact. convent.* redditur manifestum.

æquitate quidem & utilitate non destituitur; non tamen simpliciter necessaria, adeoque nec aliarum Legum, nec Juris Justinianei conditores eandem introduxerunt.

§. II. Cum vero, secundum hæc illisque conformia Jura, post contractum matrimonium distinctæ maneant res mariti a facultatibus uxoris, diversoque Jure censeantur bona ad maritum plene spectantia, dotalia, paraphernalia, receptitia & propter nuptias donata; plurimarum Legum autoritate fuit opus, ad hæc omnia juste secernenda, certosque limites constituendos, intra quos mariti pariter atque uxoris potestas circa ista bona se contineret. Inter alia dubia, quibus ansam præbuit memorata bonorum distinctio, haud minimum fuit, an & quatenus liceret conjugibus, durante fœdere matrimonii, liberalitatem ex rebus ad se pertinentibus invicem exercere? Si saltem ad normam Legum naturalium quæstionem hanc expendere opus esset, paucissimis res tota posset expediri;

Cum igitur quilibet conjugum bona possit habere a bonis alterius conjugis distincta, Quæri cœptum, an exinde sibi donare possint. Secundum Jus Nat. con-

ri;

ri; quandoquidem nihil isto jure constitutum deprehenditur, quod conjugem, res suas ad alterum conjugem transferre, vel res alterius, secundum ejusdem voluntatem, accipere volentem, deterioris esse conditionis jubeat, quam alios, qui dominium, vere ac plene sibi competens, in aliquem derivare, vel Jus alterius, eodem volente, acquirere cupiunt. Ast Legum civilium magna diversitas occurrit in hac ipsa quæstione decidenda. Multæ enim naturalem in eo libertatem conjugibus reliquerunt, paucissimas contra eousque processisse constat, ut liberalitatem omnem inter maritum atque uxorem prohiberent, in quarum classem fortassis referenda Lex Longobardorum *L. 2. tit. 4. c. 3.* quæ habetur ap. Lindebrog. *in Cod. Leg. Antiqv. p. 591.* item consuetudo, quam in regione Bituricensi observari testatur Boer. *ad consuetud. Bituricens. rubr. de consuetud. matrim. & doarii §. 1.* Multos denique Legislatores improbasse quidem videmus donationes inter conjuges factas, sed ita tamen, ut hanc prohibitionem ad Juris naturalis placitum variis modis, alii quidem magis, alii minus, iterum attemperarent. Minus restrictam in donando facultatem conjugibus largitur Lex Visigothorum (cujus hodienum in Hispania salva est autoritas, teste Gomez. *ad LL. Taur. in L. 50, 51. 52. & 53. n. 66.*) quæ primo saltem anno post initum matrimonium vetat aliquid ab altero in alterum donationis titulo conferri, post annum vero exactum, quia tum vehemens ille amor paulo remisit, nec tam profusa solet invicem esse facilitas, libere ipsis donare concedit, imo interdum quoque primo anno nondum elapso. Videri potest hæc constitutio in *Legibus Visigoth. L. 3. t. 1. c. 5. ap.* Lindebrog. *c. l. p. 54.* Contra magis angusti limites positi sunt conjugibus, sibi invicem donaturis, in Ducatu Borbonii, ubi maritus & uxor mobilia saltem & constante matrimonio acquisita sibi donare possunt jure ususfructus, Chassan *ad Consuet. Burgund. rubr. 4. §. 7. in princ. n. 2.* item in Diœcesi Ultrajectina, ac per totam fere Geldriam, ubi pariter conjux conjugi non tantum inter vivos, sed & per ultimam voluntatem, ultra usumfructum aliquid do-

juges permde, ut alii, valide sibi donant.

Sed per LL. civiles variis modis hæc libertas naturalis fuit restricta.

 nare

nare prohibetur, referente Sim. van Leeuwen *Cens. For. L. 4. c. 12. n. 4.* it. *L. 3. c. 4. n. 47. 48.*

Præcipue vero per Jus Romanum,

§. III. Adhuc major in eo apparuit rigor Juris Romani, jam tum ex Legibus Græcorum, ut vulgo existimatur, præcipueque Solonis, originem ducens. Godofr. *ad L. 1. ff. de don. int. V. & U. lit. d.* Hoc enim donationes, easque non solum enormes, quod voluisse videtur Mulz. *in Repræs. Maj. Imp. P. 1. c. 23. §. 5. n. 22.* sed quaslibet, quibus commodum, quod sit alicujus momenti, in alterum transfertur, ita pronunciavit inter conjuges invalidas, ut ipso Jure nihil valeret, quod actum esset. *L. 3. §. 10. ff. d. don. int. V. & U.* Rationes, quibus ista prohibitio nititur, videre licet in *L. 1. L. 2. L. 3. L. 31. §. 7. ff. eod.* Alias habet Plutarch. *in Quæst. Rom. problem. 7.* it. *in præcept. conjug. §. 63.* quarum tamen ultimam, ex eo petitam, quod mariti & uxoris omnia debeant esse communia, philosophicam magis quam legitimam & Juridicam esse dicit Hillig. ad Donell. *L. 9. c. 11. lit. r.* prout idem antea quoque a nobis fuit ostensum.

Quod tamen multis modis ab isto rigore iterum recessit,

Temporis successu partim per benignam Legum priorum interpretationem, partim per novas constitutiones ab isto rigore paulatim fuit recessum, Et præcipue quidem donationibus ejusmodi admodum faventem sese præbuit Imp. Antoninus Caracalla, qui anno post Christum natum 207. imperante adhuc patre suo, Severo, autor fuit Senatui Romano, quamlibet donationem in conjugem a conjuge collatam confirmandi, si donans, non mutata voluntate, altero vel altera adhuc superstite, decessisset *L. 32. pr. & §. 2 ff. d. don. int. V. & U. L. 1. L. 3. L. 10. C. eod.* Valida quoque declarata fuit, & quidem initio statim, donatio ad oblationem Dei facta, sive ut donum Deo daretur vel consecraretur. *L. 5. §. 12. ff. dict. tit.* divortii causa, sub ipso divortii tempore, suscepta *L. 11. §. f. L. 12. ff. eod.* ad refectionem ædium incendio consumtarum exhibita *L. 14. ff. eod.* die natali vel calendis Martii in uxorem non immodice collata *L. 31. §. 8. ff. eod. j.* Panciroll. *rer. memor. L. 1. rubr. de donis p. 740. seqv.* facta communis filiæ dotandæ causa. *L. 34. ff. eod.* j. Lud. Roman. *sing. 821.* it. Franc. Cremens. *sing. 4.* multisque aliis in casibus, quos passim collegerunt Com-

Commentatores, validitas tributa fuit donationibus, quas inter se conjuges fecissent. v. Meier. *Coll. Jur. Arg. T. II. p. 87. seqv.*

§. IV. Mihi, cum de themate sollicitus essem, quod speciminis inauguralis loco tractarem, argumentum ex his ipsis casibus exceptis nancisci contigit. Forte enim ob oculos venit *Lex 42. ff. d. don. int. V. & U.* exhibens peculiarem quandam, & proprio nomine insignitam speciem donationis inter conjuges approbatæ. De ea cum & pauca deprehendantur in Juris nostri voluminibus (sola enim lex allegata, cum duabus proxime eandem præcedentibus, & *L. 21. C. eod. tit. j. §. 1. tit. 7. ex corp. Ulp.* mentionem illius faciunt) nec quisquam, quod sciam, specialem in illius explicatione operam posuerit, argumentum autem ipsum ita sit comparatum, ut cum fructu aliquo conjuncta queat videri ejusdem tractatio; nihil præter rem facturus mihi videor, si de eo pauca quædam exequi fuero conatus. Quod igitur bene atque feliciter evenire jubeat Deus Optimus Maximus, id quod propositum nobis est citra ulteriores ambages aggrediemur.

In eo quoque dum valere jussit donationem honoris causa inter conjuges factam, de qua præsentem Dissertationem conscribere placuit.

§. V. Non autem necessarium esse arbitramur, ut operoam suscipiamus explanationem verborum, quæ in Dissertationis hujus rubro occurrunt. Sequentia saltem indicasse sufficiet. DONATIONIS vocabulum ex græco δῶρον deducitur *L. 35. §. 1. ff. d. mort. caus. don.* δῶρον autem græcis *palmum* significat, scil. quod munera palmo, seu manu, offerri soleant & accipi. Nonnulli tamen ex eo, quod beneficium in nos collatum ad easdem amoris vices rependendas nos excitet, ab antiquo *δόω do* & *ὄρω excito* vocem istam derivare malunt Licet vero ex his derivationibus *illa* potissimum eam respiciat donationem, quæ ipsa rei donatæ traditione illico perficitur, *hæc* autem eam, quæ remunerandi causa, vel etiam animo mutuam liberalitatem eliciendi, fuit suscepta; nos tamen hoc loco nostram facimus significationem magis generalem, qua donatio quemlibet actum denotat, quo nullo jure cogente beneficium in aliquem conferimus *arg. L. 1. L. 29. ff. d. don. L. 82. ff. d. R. J.* HONORIS vocabulum, quod

Quid intelligatur per vocabulum donationis?

Var-

Quid per vocabulum honoris? Varroni *L. 4. d. lingv. lat. §. 10.* quasi honestum onus, aliis a græco ὄνημι vel ὀνίνημι, *prosum*, dicitur, varia tum in Jure nostro, tum apud alios scriptores, significat. Sumitur enim in *L. 5. ff. d. jur. immun.* pro reverentia; in *L. 13. §. 4. ff. d. injur.* pro ornamentis sive insignibus publicæ venerationis; in *L. 6. pr. ff. mandat.* pro honorario sive salario; in *L. 14. ff. d. mun.* pro administratione Reipublicæ. In *L. 7. C. d. Ep. & Cler.* dicitur absolute poni pro magistratu. Apud Virgil. *1. Æneid. 7.* idem exprimit, quod vox pudicitiæ. Scriptores Ecclesiastici pro maioribus & excellentioribus in Ecclesia dignitatibus potissimum usurparunt. Postea generatim *honores* dixerunt majora in Ecclesiis cathedralibus beneficia. Honorum appellatio præterea donata legitur prædiis, quæ viris nobilibus ad vitam assignata fuerunt, ut exinde militaria præstarent servitia. Quin & quasvis possessiones hoc nomine nonnunquam insignitas fuisse invenimus. vid. plura ap. Carol. du Frêne *in Glossar. Tom. II. P. I. p. 767. seqv.* it. *ap.* Non. Marcell. *de propriet. serm. c. 4. §. 231.* A nobis hoc loco honor accipitur pro qualitate quadam extrinsecus obveniente, quæ dignationem alicujus auget, & prælationem ipsi præ aliis tribuit. vid. Pufend. *d. J. N. & G. L. 8. c. 4. §. 1. seqv.*

Quot modis dici possit, quod honoris causa donetur? CAUSA HONORIS cum quid DONARI dicitur, id ipsum variis modis videtur intelligi posse. Nam e. g. honoris causa donat 1) qui remuneratur eum, a quo, vel cujus auxilio, ipse honorem jam obtinuit; 2) qui munere sibi conciliare studet eum, a quo ipse honorem adhuc expectat, vel eum, cujus operam in hoc proposito utilem sibi fore existimat; 3) qui eum in finem liberalitatem exercet, ut donatarius (vel tertius aliquis) consequatur honorem; 4) qui pro honore, quem jam impetravit alter, compensandi animo aliquid elargitur; 5) qui saltem gaudiũ suum testatur9 ob honorem, ad quẽ vel ipse, vel donatarius, vel tertius quis pervenit, munera præbet; 6) qui donum in aliquem confert, ut gradum dignitatis, in quo jam collocatus est, commodius ille tueri queat vel conservare; 7) qui aliquid offert in signum peculiaris honoris atque venerationis, qua alterum prosequitur; 8) qui benigne facit alicui propterea saltem, ut magis eundem

dem sibi devinciat, ab eoque vel aliis, eadem forte beneficia sperantibus, eo majores ipsi honores habeantur &c. Ex his diversis acceptionibus ea saltem, quam tertio loco recensuimus, proprie huc pertinet, & certa quoque ratione ea, quæ est in ordine sexta; reliquas non esse hujus loci, ex iis, quæ sequuntur, manifestius apparebit. Quod autem speciem hanc donationis inter conjuges receptæ per additamentum *honoris causa* a cæteris distinximus, id non solum favente analogiâ factum (dicitur enim donatio divortii causa in *L. 11. §. f. ff. d. don. int. V. & U.* exilii causa in *L. 43. ff. eod.* manumissionis causa in *L. 7. §. 9. ff. eod.* Sepulturæ causa in *L. 5. §. 8. ff. eod.* mortis verò causa passim & in integris titulis) sed ideo potissimum, quod ipsa *L. 42. ff. d. tit.* eandem pristina jam ætate sic denominatam fuisse ostendit.

Cur hanc speciem Donationis dicamus honoris causa donationem?

§. VI. Forte non ingratum erit Benevolo Lectori, nec ab instituto nostro alienum, si hanc ipsam Legem 42. tanquam præcipuum fontem argumenti, quod tractandum suscepimus, unà cum reliquis textibus, quorum supra mentio fuit à nobis injecta, uno obtutu oculis ipsius ante subjecerimus, quam ulterius progrediamur. Sunt autem textus isti sequentes.

Textus, qui de donatione honoris causa agunt.

L. 40. ff. d. don. int. V. & U.

Quod ADIPISCENDÆ DIGNITATIS GRATIA *ab uxore in maritum collatum est: eatenus ratum est, quatenus dignitati supplendæ opus est.*

L. 41. ff. eod.

Nam & Imp. Antoninus constituit, ut AD PROCESSUS VIRI *uxor ei donare possit.*

L. XLII. ff. eod.

Nuper ex indulgentia Principis Antonini recepta est alia causa donationis, quam dicimus HONORIS CAUSA: *ut ecce, si uxor viro laticlavi petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.*

L. 21. C. eod.

Si propriis habitis contractibus, quam acceperas mutuam pecuniam, pro marito donationis causa erogasti; cum hæc ad DIGNI-

TATEM PROFUERIT, *nec locupletior sit factus, intelligis, nullam tibi contra eum competere actionem.*

Ex Corp. Ulpiani tit. 7. §. 1.

Inter virum & uxorem donatio non valet, nisi certis ex causis: mortis causa, divortii causa, servi manumittendi gratia. Hoc amplius principalibus constitutionibus concessum est mulieri, in hoc donare viro suo, ut is ab Imperatore latoclavo vel equo publico, similive HONORE HONORETUR.

Quid sit honoris causa donatio?

§. VII. His ita præmissis DONATIONEM HONORIS CAUSA describimus, quod sit actus liberalitatis, legibus specialiter approbatus, quo conjux in conjugem valide & irrevocabiliter aliquid confert, ad consequendum honorem. Generis loco *actum* posuimus. Sic enim quocunque tandem modo hanc donationem fieri contingat, non opus erit, in definitione specierum aliud vocabulum substituere, quod non potest non illis evenire, qui contractum constituunt genus donationis v. Gomez *var. Resol. Jur. T. 2. c. 4. §. 1.* Treutl. *Select. Disp. Vol. 2. Disp. 19. th. 1.* quos proinde, cum & alias ob causas eorum sententia minus recte se habeat, solidis rationibus refellunt Dn. Svendend. ad Eckhold. *L. 39. t. 5. §. 2.* Wissenb. *ad π. P. 1. Disp. 16. th. 1.* Bachov. *ad d. Disp.* Treutl. *lit. A. seqv. Liberalitatis* actum diximus, ut excludamus alia negotia & contractus, quibus inter maritum & uxorem id agitur, ut res alterius alteri prosint ad obtinendum honorem e. g. Si eum in finem mutuum detur marito, vel vendatur ipsi aliquid, vel titulo permutationis ad eum perveniat. His enim in casibus (dummodo pretium ne diminuatur, aliudve fiat animo donandi) conjuges non indigent peculiari quodam priuilegio, sed ex jure communi res suas in alterum conjugem libere possunt transferre arg. *L. 5. §. 5. L. 7. § 6. L. 31. §. 3. L. 32. §. 24. 25. L. 52. ff. de don. inter V. & U. L. 38. ff. de contrah. emt. L. fin. §. 1. ff. ut leg. seu fideic. serv. j.* Corvin. *Method. Enarrat. Cod. L. 5. t. 16. §. 24.* Chassan. *Consuet. Burg. rubr. 4. §. 7. verb. ni autres contracts.*

Quot modis illa dividi possit?

§. IIX. Dividuntur alias in jure nostro donationes generatim consideratæ in eas, quæ *mortis causa* fiunt, & quæ *inter vivos* suscipiuntur *pr. J. d. donat. L. 1. ff. eod.* Possunt etiam dona-

na-

nationes, quæ fiunt inter conjuges honoris causa, ita dividi Quid enim prohibet, quo minus tam in euentum futuræ mortis, quam citra illius intuitum eiusmodi liberalitas inter maritum atque uxorem queat exerceri? Sed tamen has ipsas honoris causa donationes, de quibus præsens instituitur tractatio, ita dividi posse negamus. Nam si quid ad dignitatem adipiscendam conjux velit mortalitatis cogitatione & in casum secuturæ mortis, reseruata sibi revocandi libertate, in conjugem conferre, pariter non indiget privilegio constitutionum principalium, ad quas leges supra recensitæ se referunt, cum omnes omnino donationes in mortis eventum suspensæ, etiamsi non honoris causa fuerint factæ, sed ob aliam vel plane nullam specialem causam, validæ declarentur per *L.9.§.2.ff.de don.int.V.& U.* cuius rationem cernere licet in Lege proxime sequenti *ff. eod.* Ratione causæ moventis in *L.27. ff. de donat.* porro dividuntur donationes in MERAS & REMUNERATORIAS, quarum *illæ*, quæ sine ullo Juris civilis vel naturalis præcepto ex mera liberalitate fiunt, quibusdam etiam *absolutæ*, *hæ* verò, quæ suscipiuntur prævia quadam causa obligante, & quidem aliquam in se præstandi necessitatem habente, nonnullis etiam *relatæ* dicuntur *d. L. 27. L. 34. §. 1. ff. eod. j. L. 54. §. 1. ff. d. furt. L. 25. §. 2 ff. de hared. pet.* Dn. Stryk. *in Annot. ad Lauterb. p. 858.* Schilt. *Inst. Jur. Civ. L. 2. t. 7. th. 2.* Eckhold. *ad tit. π. d. donat §. 3.* Hæc divisio ad nostras quoque pertinet donationes honoris causa, quatenus considerantur tanquam peculiari quodam privilegio munitæ. Licet enim uxor, quæ marito aliquid animo remunerandi donat ad consequendum honorem, non videatur opus habere privilegio earum legum, quas supra exhibuimus, propter *L. 7. §. 2. ff. de don. inter V. & U.* restringendum tamen hoc est ad eum casum, si & statim, post beneficium aliquod singulare à marito acceptum, talis liberalitas fuerit subsecuta, & non multo majus emolumentum tribuat marito, quã ab eodem antea profectum est in uxorem *arg. d. L. 7. it. L. 15. & 48. ff. eod. L. 9. L. 10. & Auth. Æqualitas C. d. pact. convent.* Dn. Menck. *Tract. Synopt. π. p. 356.* Carpz. *ad. P. 2. C. El.*

 13. d.

13. d. 3. 4. 8. 18. Gail. *L. 2. obs. 40. n. 7.* Quod si igitur demum post aliquod intervallum, vel etiam non æqualiter, fiat ab uxore honoris causa donatio remuneratoria, non ob *d. L. 7.* illa pro valida poterit agnosci, sed propter privilegium, quod Leges a nobis speciatim propositæ continent; Sand. *de prohib. rer. alien. P. 1. c. 2. §. 3. n. 23.* Tertio donationes intuitu modi dispesci solent in PURAS, quæ ita fiunt, ut non dissimuletur animus liberalitatem exercendi, & MIXTAS, quæ ita fiunt, ut actus liberalitatis alius cujusdam negotii speciem præ se ferat, e. g. venditionis vel locationis *L. 18. ff. d. donat. L. 3. C. d. contrah. emt. L. 46. ff. locat.* Schilt. *c. l. th. 3. j.* Henr. Köperi *disp. Inaug. de mixtis in Jure sect. 3. th. 5. seqv.* Atque hanc etiam divisionem congruere nostris donationibus, de quibus hic agimus, patebit ex subsequentibus. Alio quoque respectu donationes quædam dicuntur PURÆ, illæ scilicet, quibus nec conditio ulla est adjecta, nec modus aliquis additus; his opponuntur NON PURÆ, quæ iterum vel CONDITIONALES sunt, vel SUB MODO factæ *t. t. C. d. don. quæ sub mod.* In hac significatione donationes honoris causa nunquam puras dici posse nomen ipsum satis indicat. Semper autem ad eas, quæ sub modo fiunt, easdem referri debere, infra demonstrabitur. Ex reliquis divisionibus donationum notari adhuc merentur hæ duæ, qua dispescuntur 1.) IN REALES, quæ ipsa rei donatæ traditione, & CONVENTIONALES, quæ per contractum aliudve pactum contingunt *L. 35. §. 5. C. d. don. L. 22. ff. eod.* 2.) in IUDICIALES, quæ coram Iudice, & EXTRA IUDICIALES, quæ extra Judicium fiunt *L. 36. §. fin. C. eod.* quarum divisionum utramque huic donationis speciei applicari posse, pariter ex infra dicendis reddetur manifestum.

Quisnam speciale privilegium huic donationi indulserit?

§. IX. Hic actus, quem honoris impetrandi causa susceptum ex liberalitate proficisci, & modis tam variis dividi posse monuimus, secundum regulas Juris communis minime subsistere debebat, ob generaliter ademtam conjugibus facultatem sibi invicem valide donandi. Ut igitur nihilominus præsens donatio valeat, ex privilegio factum, cujus quisnam autor fue-

fuerit, & quænam causa impellens, statim videamus. Ulpianus in loco, quem ex ipso paulo ante adduximus, tribuit originem hujus privilegii *principalibus constitutionibus*. Licinius Rufinus *in L.41. ff. d. don. int. V. & U.* autorem nominat *Imperatorem Antoninum*; Cajus vero in *L. 42. ff. eod.* ex indulgentia *Principis Antonini* hanc speciem donationis ait esse receptam. Hactenus igitur inter omnes optime convenit, ut appareat, nec in statu Reip. Romanæ Regio, nec populari, memoratum privilegium fuisse concessum donationibus, quæ honoris causa fiunt inter conjuges, sed tum temporis, cum jam unius dominatu omnia tenerentur. In eo quoque congruunt inter se JCtorum sententiæ, quod Imperatori, qui beneficium istud conjugibus indulsit, nomen fuerit Antonini. Sed cum ex iis, qui Romano præfuerunt Imperio, plures inveniantur hoc eodem nomine insigniti, non æque positum est in expedito, de quonam potissimum textus uterque loquatur, itemque num de uno, an vero de diversis Imperatoribus verba Rufini & Caji debeant intelligi; Ex quo pariter fluit, ut nec de tempore satis liqueat, quo donationes istæ Imperatoria autoritate fuerunt confirmatæ. Nos periculum faciemus, an sententiam, si non omnino certam, talem saltem eruere possimus, quæ probabili nitatur conjectura. Initio autem sciendum, seculo post Christum natum secundo duos Principes alterum post alterum, nullo alio interjecto, orbi Romano imperasse, quorum uterque nomen habuit Antonini. Primus, quem Pii cognomentum â Successore distinguit, ab anno 138. usque ad 161. alter vero, qui Philosophi cognomen accepit, ab anno 161. usque ad 180. una cum socio L. Vero, qui pariter Antoninus fuit appellatus, imperium tenuit. Utriusque vero, tam Pii, quam Philosophi, (maxima enim prudentia ac moderatione, nec minore felicitate Remp. tutati erant) adeo grata fuit apud Romanos memoria, ut nomen quoque ipsorum peculiarem quandam sanctimoniam habere cunctis videretur. Cum igitur, teste Lampridio *in Diadumeno §. 1.* populus pariter atque exercitus fere non existimarent Imperatorem, quem prius Antoninum dici non audissent, solen-

ne fuit plerisque ex his, qui proxime post laudatos Imperatores principatum obtinuerunt, nomen hoc tam charum, & cujus tam ingens esse desiderium videbant, assumere. Fecerunt hoc L. Aurelius Commodus, deinde Bassianus Caracalla, & Geta frater ejusdem, post hos Diadumenus ac tandem Heliogabalus; qui omnes exeunte seculo secundo & circa sequentis initium imperarunt, verum in Rep. administranda tanto cum dedecore sunt versati, ut post ipsos nullus extiterit Imperatorum, qui crederet, isto cognomine peculiarem sibi favorem amplius conciliari posse, quippe quod omnes æque nunc abominabantur, atque olim in deliciis illud habuerant. j. Spartian. *in Geta §. 1.* it. Lamprid. *in Heliogab. §. 1. 6.* Licet autem omnes isti Imperatores dicti fuerint Antonini; cum tamen in Codice fere nihil, & in aliis Juris nostri voluminibus paucissima inveniantur, quæ Commodo, Getæ, Diadumeno vel Heliogabalo tribui possint, nec, si quid inveniatur, Antonini nomen facile usurpetur, non est, quod ex his aliquem suspicemur esse autorem privilegii, cujus mentionem faciunt Leges de donatione honoris causa agentes. Sed nec Antoninus Philosophus, cum Lucio Vero Antonino, videntur in dictis Legibus intelligi posse. Quoties enim in Jure nostro uterque simul nominandus est, regulariter vel Piorum Fratrum appellatio adhibetur *L. 2. C. d. procur. L. 2. C. d. alend. lib. L. 7. ff. de rer. divis. L. 1. §. 3. 6. 14. & fin. ff. d. quæst.* Vel Collegæ nomen adjicitur, ut in *L. 1. C. de patr. potest. L. 37. ff. de pact. L. fin. ff. ad SCt. Turpil. L. 24. ff. ad munic.* Lucius Verus vix seorsim nominatus invenietur; saltem Antonini nomine simpliciter posito id factum non erit; Antoninum vero Philosophum, si de eo solo Leges nostræ loquantur, frequentissime Divum Marcum, rarissime Antoninum dicunt, sine alio additamento. vid. L. *2. C. ut in poss. leg. L. 5. §. 9. 14. ff. d. agn. vel al. lib. L. 16. ff. d. R. N. L. 2. C. d. nec. hær. inst.*

Antoninum Pium verum autorem esse ostenditur.

§. X. Solus igitur Antoninus Pius & Bassianus Caracalla supersunt, a quorum alterutro verisimile est, profectum esse privilegium, de quo præsens instituitur tractatio. Etenim & proprium quodammodo fuit utrique, magisque solenne, quam reliquis, nomen Antonini, & longe frequen-

tius

tius in Jure noſtro ſeſe offerunt ea, quæ ab ipſis, quam quæ a reliquis, quos ſupra recenſuimus, conſtituta fuerunt, ut proinde non errare mihi videantur, qui in dubio Leges, quæ nomen Antonini generaliter poſitum præ ſe ferunt, his potius, quam aliis, tribuendas eſſe cenſent. Sed cum non niſi de uno Antonino loquatur tam *L. 41.* quam *42. ff. de don. int. V. & U.* adhuc penitius inveſtigandum, cuinam ex duobus iſtis originem debeat ſpecialis conſtitutio, quam dictæ Leges comprehendunt. Et pro Caracalla quidem magis ſunt ea ipſa, quæ modo pro utroque attulimus. Nam & ſæpius illi, quam Pio, tribuitur appellatio Antonini, nullo alio adjuncto. Briſſon. *de verb. ſign. L. 1. verb. Antoninus* & longe plura ejusdem, quam alterius, edicta atque reſcripta collegerunt Juris Juſtinianei conditores. Accedit, quod ex *L. 32. ff. d. don. int. V. & U.* conſtet, eundem hunc Imperatorem ante obitum Patris ſui, Severi, de confirmandis certis donationibus inter conjuges orationem ad Senatum habuiſſe, qua ipſa oratione admodum probabile eſt, hanc quoque donationem, quæ honoris cauſa dicitur, fuiſſe confirmatam; ut taceam, alia multa de donationibus inter maritum & uxorem reſcripſiſſe dictum Imperatorem v. *L. 1. & ſeqv. C. dict. tit.* id quod Pium etiam feciſſe nusquam apparet. Sed tamen omnia iſta non adverſantur, quo minus aſſeramus, hujus privilegii, quod continet ſæpius allegata *L. 42.* primum autorem eſſe Antoninum, cognomine Pium, neutiquam vero Caracallam. Utut enim huic in Jure noſtro admodum frequenter ſimplex detur Antonini nomen, datur tamen, idque non raro, etiam illi, *v. L. 1. §. 5. ff. d. quæſtion. L. 57. ff. d. Leg. 2. L. 17. ff. d. ſtat. hom.* & potiori jure datur, quam Caracallæ, quippe adſcitum huic, illi vero gentilitium fuit. Quæ de multitudine conſtitutionum â Baſſiano editarum dicta fuerunt, conjecturam ſaltem faciunt, cujus non adeo magna vis eſſe poteſt, cum & ex iis, quæ Pius reſcripſit, vel per edictum promulgavit, non pauca Juris noſtri voluminibus inveniantur eſſe inſerta. Orationem, quam Basſianus in Senatu habuit, ejusque ſummam, verbis tam amplis Ulpianus in *dict. L. 32.* expoſuit, ut propemodum non ſit

cre-

credibile, eum omissurum fuisse, si quid illa continuisset de his, quæ dignitatis adipiscendæ gratia conjugi donantur Verum hoc præcipuum est argumentum, & quo facillime veritas nostri asserti poterit evinci, quod *Lex 42. ff. de don. int. V. & U.* quam præsentis materiæ sedem principalem aliquoties diximus, desumpta esse legitur ex JCti Caji *Lib. XI. ad Edict. Provinc.* Hunc autem Cajum s. Gajum vixisse temporibus Hadriani & Antonini Pii, cum aliunde constat, tum præcipue ex *L. 7. ff. de Reb. Dub.* j. Brisson. *de V. S. Lib. 7. verb. Gaius*. Et quamvis ad Marci quoque Antonini Philosophi tempora eundem pervenisse probari possit Huber. *Digress. Justin. L. 3. c. 17.* it. *pr. I. de SCto Orphit.* j. *L. 9. ff. d. SCt. Tertull.* impossibile tamen est, ætatem etiam Caracallæ eundem attigisse, cum inter hujus & dicti Hadriani tempora spatium intercedat fere centum annorum. Illud interim facilius concedi posse fatemur, quod hoc ipsum privilegium, datum ab Antonino Pio, confirmaverint ac fortasis etiam auxerint, aliove modo determinaverint proxime sequentes Imperatores, quæ assertio num per verba Ulpiani numero plurali utentis: *principalibus constitutionibus*, it. per L. *21. C. de Don. int. Vir & Ux.* vel etiam per ipsam *L. 41. ff. eod.* probari queat, jam non definiemus.

Num expressa LLatoris voluntate hoc Privilegium introductum?

§. XI. De primo huius privilegii autore satis jam constare nobis poterit. Ea tamen quæstio forsitan adhuc aliquam controversiam habet, num per legem expresse latam privilegium istud conjugibus dederit Antoninus Pius, an vero passus saltem fuerit per consvetudinem illud introduci. Posterius affirmare quis posset propter verba d. Legis 42. *ex indulgentia* it. *recepta.* Nam *indulgere* plerumque dicimus id, quod fieri saltem patimur, non etiam id, quod nos fieri velle expresse declaramus; *Receptum* autem in jure nostro & sermone vulgari idem sæpe denotat, quod moribus comprobatum *j.* L. *14. §. f. ff. sol. matrim.* sed nos prius affirmare non dubitamus, non solum ob verba Ulpiani: *principalibus Constitutionibus*, it. Legis 41 *constituit*, *j. L. 1. §. 1. ff. de Const. Princ.* verum etiam illis ipsis verbis moti, quæ contrarium evincere debebant. A Principis enim *indulgentia* illud quo-

quoque proficisci dicitur, quod eidem expresse placuit. *L. pen. ff. d. Const. Princ.* & phrasis: *receptum esse* plurimis in locis tam Digestorum, quam Constitutionum Imperialium, vel generalem habet significationem, ut in *L. 14. ff. d. Legib.* vel specialiter id ipsum exprimit, quod per manifestam voluntatis declarationem â LLatore fuit introductum, ut in *L. 32. ff. eod. j. L. 11. ff. de Susp. Tut.* Usum fori si spectemus, parum intererit, utram sententiam amplectamur, quemadmodum nec illud operæ pretium esse videtur, si curiosius inquiramus, Constitutio ista edictumne fuerit, an decretum, an rescriptum. Quod si tn. ex his aliquid asserendum, posterius defendi posse existimaverim.

§. XII. Majus momentum videtur inesse in hac quæstione, quam potissimum rationem secutus fuerit Imperator Antoninus Pius, cum donationibus istis, quæ fiunt honoris caussa inter conjuges, plenissimam tribuit validitatem. Ex textibus supra exhibitis sola *L. 21. C. de Don. int. V. & U.* aliquid continet, quod nobis in hac quæstione versantibus lucem aliquam fœnerare possit; textus reliqui plane nihil habent. Partim igitur ex dictâ Lege, partim ex aliis Juris principiis ad quæsitum respondebimus. Primo autem Leges Romanas liberalitatem inter conjuges valide exerceri vetantes aliqua ex parte à Jure Naturali recedere supra exposuimus. Jam vero id semper agere solent Legislatores, ut, si quando ob utilitatem publicam restringere cogantur libertatem â natura concessam, libenti animo de isto rigore remittant, quoties id eadem utilitate publica non repugnante fieri posse videtur. Rigor ergo legum, & voluntas temperamentum aliquod iisdem adhibendi, prima dici poterit eaque generalis ratio, quæ Pium Antoninum induxit, ut dictas donationes approbaret j. *L. 32. pr. ff. d. don. int. V. & U.* it. *L. 28. §. 2. L. 31. §. 7. ff. eod.* Altera ratio, & magis quidem specialis, habetur in dicta *Leg. 21.* Nimirum propterea valere jussit Imperator donationem honoris caussâ factam, quod per eandem locupletior non fiat is, in quem liberalitas fuit collata, cum honor in se consideratus dignationem quidem honorati, non item opes ejusdem augeat. Ast eam

Caussa impulsiva huius Privilegii.

præ-

præcipue ob causam his, qui Leges ante tempora Antonini condiderant, visum fuit prohibere donationes inter maritum atque uxorem, ne ditior fieret alter conjugum cum alterius detrimento *L.3.pr.ff.d.Don.int.V.& U. L.5.§.5.8.16.17.L.7.L.25.ff.eod.* Cessante igitur ratione Legis prohibitoriæ, æquum esse duxit sæpe laudatus Imperator, per expressam constitutionem excipere casum, in quem ratio ista Legis minus quadraret. Deinde licet admittamus, non deficere semper in donatione honoris caussa memoratam rationem; cum secundum ea, quæ infra dicentur, dignitas, cujus gratia aliquid donatur, ita possit esse comparata, ut certos annuos reditus ferat, adeoque locupletiorem omnino conjugem reddat; tamen non incongrue quis dixerit, alterum cessare (cujus intuitu æque moti fuerunt legum conditores, ut validitatem adimerent donationibus inter conjuges factis) quod nimirum donans reddatur pauperior *v. supr. alleg. L.3.pr.L.5.§.8.16.L.25.ff.d.don.int.V.&.U.j.L.31,§.7,ff.eod.* Uxor enim, cujus liberalitas marito profuit ad consequendum honorem, hoc ipso suam quoque conditionem reddit meliorem, cum & ipsa fruatur conjugis claritate, ejusque radiis coruscet, secundum *Nov.105.c.2.* honore illius erigatur, ut sunt verba *L.13.C.d.Dign.&L.fin.C.d.Incol.* ipsique concrescat & illius sentiat fulgorem per *L.28.C.d.Nupt.j.L.8.ff. de Senat.* it Chassan. in *Catal.glor.mund.P.11.consid.40.* Potest igitur hæc quoque consideratio impulisse Antoninum, ut istam inter conjuges donationem à reliquarum conditione voluerit esse discretam. Forsitan & hoc peperit dictis donationibus peculiare privilegium, quod animadverteret Imperator, non meritorum defectum, sed magnitudinem sumtuum necessario faciendorum, multis præcludere viam ad obtinendos honores; cui malo, ut hac quoque ratione obviam iretur, non tam ejusmodi maritorum, quam ipsius Reipublicæ, interesse, jure potuit existimari.

Quænam personæ honoris caussa

§. XIII. Videamus nunc, quibus & quorũ gratia privilegium hoc sit indultum. Textus à nobis adducti de uxore loquuntur atque marito, ac de illa quidem pronunciant, quod ho-

noris

noris cauſſa donare, de hoc vero, quod ejusmodi donationem recipere poſſit. Ante omnia autem ſtatuendum pro certo, quod, quæ uxores extraneis donare vel impediuntur, vel prohibentur, & qui mariti ab extraneis donationes recipere nequeunt, ad hos illasve privilegium dictarum Legum minime pertineat. Sic igitur ne honoris quidem cauſſa marito recte donabit 1) ea, quæ rationis usu deſtituitur; *L. 23. §. 1. ff. d. donat.* quod ſecus eſt in ea, quæ ſenio quidem, vel graui morbo laborat, ſed vegeto adhuc eſt judicio. *L. 16. C. eod.* & quamvis de his, quæ adverſa valetudine decumbunt, aliud in Saxonia videatur eſſe conſtitutum Weichbild *a. 65.* noſtri tamen temporis conſuetudine ægrotarum non minor eſt in donando poteſtas, quam earum, quæ optime valent, Carpz. *P. 2. C. El. 12. d. 11. n. 4. it. C. 14. d. 4. n. 3.* 2) quæ rationis quidem eſt particeps, ſed voluntatis tamen ſuæ perſpicua & indubitata ſigna dare nequit, qualis eſt, quam ita naſci contigit, ut nec eloqui poſſit nec audire *a. L. 10. C. qui teſt. fac. poſſ.* nullo facto diſcrimine inter res mobiles & immobiles. Meier *Coll. Jur. Arg. ad Tit. de Donat. n. 5.* licet forte de his, quæ ita ſunt natæ, non immerito quis dubitaverit, an ea ſit ipſarum conditio, ut uxores alicujus fieri poſſint. *Conf. C. 23. C. 25. X. de Sponſal.* Aliud ſtatuendum de ea, quam caſus aliquis loquendi pariter & audiendi facultate privavit, it. quæ vel muta tantum eſt, vel tantum ſurda. *L. 33. §. 2. ff. d. donat.* j. d. *L. 10. C. qui Teſt. fac. poſſ.* nec non de ea, quæ viſu caret. Sande *de prohib. rer. alienat. P. 1. c. 1. §. 1 n. 5.* 3) Cui bonis interdictum; *L. 15. ff. d. curat. fur. L. 12. §. 2 ff. d. tut. & cur. dat. L. 26. ff. d. contr. emt.* item ea, quæ crimen aliquod capitale commiſit, ob quod poſtea eam condemnari contingit *L. 15. ff. d. Donat* tametſi negari non poſſit, quod in ejusmodi reatu conſtituta habeat adhuc bonorum ſuorum adminiſtrationem *L. 46. §. 6. ff. d. jur. Fiſc.* j. Wiſſenb. *ad π. P. 2. diſp. 16. th. 10.* Gomez. *Var. Res. Tom. 3. c. 14. n. 4.* Hæc tamen, quæ de rea criminis capitalis diximus, jure noſtro, niſi læſæ majeſtatis crimen excipias, non amplius obtinent. Brunn. *ad d. l. 15. ff. d. donat. n. 6.* 4) Impubes; *L. 11. ff. d. acqv. rer. dom.* Licet enim de ea fruſtra præſenti in loco quæri videa-

donare impediantur vel prohibeantur?

 tur

tur, cum pro uxore non habeatur, quæ duodecimum ætatis annum nondum implevit *L. 4. ff. d. Rit. Nupt. j. L. 65. ff. d. Don. int. V. & U. L. 32. §. 27. ff. eod.* ad Jus Canonicum tamen respeximus, quod infra istam ætatem constitutis matrimonium contrahere permittit, si malitia in ipsis suppleverit id, quod annis deest. *c. 3. c. 9. X. d. desp. Imp.* 5) Minor. *L. f. C. si maj. fact. alien. L. 1. ff. d. Minor.* 6) Quæ dominicæ potestati subest. *L. 1. §. 1. ff. quæ res pign. L. 28. §. 2. ff. de pact.* Hæc enim licet non jure Civili *pr. J. d. Nupt. L. 3. C. de incest. nupt.* bene tn. jure Canonico & hodierno *t. t. X. d. Conjug. serv.* veræ uxoris titulo gaudet. 7) Quæ patriæ potestati est subjecta *d. L. 1. ff. quæ res pign. L. 7. ff. d. donat.* si donare velit aliquid de bonis profectitiis vel adventitiis regularibus, non etiam de irregularibus *N. 117. c. 1.* Hodie tamen rarius continget, ut filia nupta constituta sit in sacris paternis; cum non solum in Saxonia per Land-Recht *l. 1. a. 45.* j. Carpz. *P. 2. C. El. 10. d. 2.* verum etiam extra eam plerisque in locis fœminæ matrimonium contrahentes à patria potestate liberentur. Giesebert. *in Justin. Harmon Tit. d. Patr. pot. n. 129* Grönw. *ad. L. 4. C. d. Don. int. V. & U. n. 3.* Interim quibus in locis Jus Civile hac in parte hodienum observatur, (quemadmodum de Gallia testatur Chassan. *Consuet. Burg. Rubr. 4. §. 1. verb. en la puissance de son. mari n. 8.*) filiafamilias, quæ de bonis à patre profectis, vel ex peculio adventitio ordinario, donare aliquid vult marito suo ad consequendum honorem, vel patris consensum expressum debet impetrare *L. 2. pr. L. 9. §. 2. ff. d. donat.* vel peculii liberam administrationem habere. Licet enim hujus concessio regulariter non tribuat facultatem donandi *L. 7. pr. ff. eod. L. 28. §. 2. ff. de Pact.* expresse tamen excipitur ea donatio, quæ fit ob justam caussam *d. L. 7. §. 1.* pro qua citra dubium etiam habenda hæc nostra, quæ fit honoris gratia. Num ex eodem fundamento defendi possit, valere donationem, quæ ex bonis uxoris impuberis, minoris, prodigæ vel furiosæ honoris caussa proficiscitur in maritum, si tutor vel curator ejusmodi uxoris intervenerit, hoc loco forte non incommode quæritur. Et puto, posse curatorem,

qui

qvi uxoris furiosæ bona administrat, hunc in modum donare, si magna furiosæ utilitas hoc svadeat, & accedat cognitio judicis. *L. f. ff. d. cur. furios.* quæ tamen Lex, licet loquatur generaliter, ad rerum saltem mobilium donationem pertinere videtur, *arg. L. 2. C. eod. j. L. 22. C. d. adm. tut.* Tutores vero & Curatores uxorum impuberum, minorum & prodigarum, etiam non accedente judicis cognitione, vel ipsi facere poterunt ejusmodi donationem, vel factam a dictis uxoribus sua autoritate, suove consensu confirmare, dummodo 1.) donentur res mobiles, quæ servando servari non possunt 2) moderatio adhibeatur. 3) utilitas uxoris modo quodam peculiari promoveatur *L. 12. §. 3. ff. d. adm. tut. L. 1. C. si adv. don.* Res vero imobiles & ex mobilibus eas, qvæ servando dicuntur servari posse, nec ipsæ uxores, dicta ratione sub tutela curave constitutæ, nec illarum tutores aut curatores donationis titulo valide transferunt in maritos ad dignitatem adipiscendam, qvamvis id uxori maxime conducere magistratus cognoverit, eoque intuitu suum decretũ interposuerit. *L. fin. C. Si maj. fact. L. 5 §. 14. ff. d. reb. eor. qui sub tut. L. 6. L. 12. d. præd. & al. reb. L. 22. C. d. adm. tut.* Dn. Menck. *Contr. select. Iur. Civ. Disp. 15. th. 17.*

§ XIV. Debent autem Leges, quæ continent privilegium donationum honoris caussa factarum, non de alia, quam vera & legitima uxore intelligi. Primo igitur excluditur sponsa. Licet enim maritus atque uxor non Hebræorum duntaxat, sed & aliarum gentium institutis, etiam ex solis sponsalibus dicantur, Grot. *Annot. ad Matth. I. 16. C. 6. C. 9. C. 40. XXVII. qv. 2. j. L. 8. ff. d. grad. L. 4. ff. d. fund. dot.* Carpz. *Jurisp. Cons. L. 2. t. 6. d. 107. n 15.* it. *t. 10. d. 178. n. 11.* proprie tamen & regulariter, quemadmodum alias, ita & in jure nostro, per uxorem ea saltem exprimitur, inter quam & virum arctissima illa conjunctio adest, individuam vitæ consuetudinem continens. *§. 1. I. d. P. P.* j. *L. 2. L. 3. ff. d. Spons.* Quæ spe saltem est uxor, si quid animo liberali conferre velit in sponsum, ex quacunque demum caussa id fiat, privilegio dictarum legum non indiget, sed jure communi id permittente valida erit donatio. *L. 27. ff. d.* Non pertinet hoc privilegium ad Sponsas.

 Don.

Don. int. V. & U. Schneidew. *ad §. 2. J. de don. n. 62.* Ad id vero, ut ea, quæ sponsa fuit, talis esse desinat, & vera uxor esse incipiat, sola benedictio sacerdotalis sufficiet, præcipue apud Saxones *P. 11. Const. Elect. 24.* j. *L. 30. ff. d. R. J.* Schilt. *Inst. Jur. Can. L. 2. t. 11. §. 3.* Adeoque si post hanc εὐλογίαν sacram, ante consummationem tamen matrimonii, noviter nupta liberalis esse velit erga eum, quem conjugem accepit, subsistet quidem donatio facta ad honorem consequendum, nō vero quavis alia ex caussa. Moribus etiam Romanorum sponsa pro uxore habebatur, simulatque deducta erat ad domum mariti. *L. 6. C. de don. ant. nupt.* licet in cubiculum nondum facta esset deductio. Per solam autem deductionem, ad hortos mariti factam, jus & nomen sponsæ non amittebatur. *L. 66. §. 1. ff. d. Don. int. V. & U.* j. de triplici hac deductione Brisson. *de Rit. Nupt. libr. sing. circ. init.*; it. Henr. Linck. Prof. Altdorf. *disp. de Illustr. imper. pers. deduct. ad domum c. 1. §. 11. seqv.* Cypræ. *de Connub. jur. c. 5. §. 5.* Quod tamen de sponsa diximus, eam honoris caussa donaturam non opus habere privilegio Legis *40. ff. d. don. int. V. & U. & seqv.* hoc ita debet limitari, dummodo ea donatio collata sit in tempus matrimonii perfecti: eo enim in casu dictum privilegium ipsi omnino necessarium foret. *L. 32. §. 22. ff. dict tit.* j. *l. 5. pr. ff. eod. l. 4. C. d. don. ant. nupt.* Perez. *in lib. V. Cod. T. 16. n. 7.*

Nec ad eas, quæ sunt uxores injustæ

§. Secundo etiam hoc privilegium non pertinet ad eas, quæ in conjugio quidem vivunt, sed tali, quod Leges simpliciter improbant, h. e. quæ uxores quidem sunt, sed non eorum cum quibus matrimonio jungi poterant e. g. Si olim filia Senatoris habita fuisset loco uxoris a libertino, vel pupilla a tutore, vel provincialis mulier a Præside Provinciæ *l. 16. l. 38. l. 59. ff. d. R. N.* Licet enim Jure communi propter hoc ipsum, quod verum matrimonium inter donantem & accipientem non adfuerit, valere debebant hæ donationes; Legislatores tamen existimarunt, fas non esse easdem ratas pronunciare, ne melior esset conditio eorum, qui deliquerunt, & ne tanquam maritus beneficio afficeretur, qui mariti appellatione esset indignus *L. 3. §. 1. L. 32. §. 27. & f. ff. d. Don. int. V. & U. l. 7. C. eod.* j.

Ce-

Cephal. *cons. 390. n. 69.* Campez. *de Dote P. 1. qv. 47. n. 4.* Cum igitur inter ejusmodi conjuges factæ donationes tantum odium meruerint, ut etiam fisco rerum donatarum vindicatio concessa deprehendatur in *d. l. 32. §. f. ff. d. Don. int. V. & U.* (j. tamen Brunn. *ad h. l. n. 17.* it. *ad l. 3. ff. eod. n. 3. 4.* Perez. *in lib. V. Cod. t. 16. n. 3.* Corvin. *Method. Enarrat. Cod. ad eund. tit. §. 5.*) & talis uxor marito donans manifeste erret in caussa finali, conjugem scil. existimans, qui vere conjux nec est, nec esse potest. a. *dict. l. 32.* it. *l. 4. C. de hæred. inst.* Zoes. *Comment. ad Tit. de Don. int. V. & U. n. 9.* Sanchez. *in Tr. de matrim. l. 6. disp. 2. n. fin.* ne illæ quidem donationes, quæ fiunt honoris caussa, pro validis haberi poterunt, sed perinde, ut reliquæ, sub ista prohibitione generali comprehensæ videntur. Hodie applicari hoc potest ad eos potissimum, qui in gradibus, jure divino prohibitis, matrimonium contraxerunt. Quodsi aliqui ex ratione mere civili conjuges esse nequeant, de horum inter se factis donationibus idem statuere licebit, quod de aliorum conjugum liberalitate, maxime si per dispensationem tale connubium fuerit approbatum,

§. XVI. Tertio beneficium dictarum legum non prospicit illis, quæ legitimæ quidem uxores fuerunt, sed, maritis adhuc viventibus, tales esse desierunt, nimirum per divortium legitime factum. *l. 64. ff. d. Don. int. V. & U.* Nam hæ secundum regulas Juris Communis libere donant maritis quondam suis, tam honoris caussa, quam citra hunc respectum. Quod si saltem simulatum sit divortium, vel non ita factum, prout leges illud fieri volunt *d. l. 64. l. 35. ff. eod.* honoris caussa suscepta donatio non aliter valebit, quam ex privilegio sæpius memorato. Hodie restricta quidem divortiorum libertate, sed iisdem non penitus sublatis, quin idem in utroque casu obtinere debeat ambigendum non est. Quarto denique Legum adductarum specialis constitutio non est trahenda ad concubinas, quæ Jure Civili haud secus, ac si plane essent extraneæ, donationes libere faciebant, ac pariter, (præterquam à militibus) recipiebant. *l. 31. ff. d. Donat. l. 3. §. 1. ff. d. Don. int. V. & U. l. 2. C. eod.* Jure

Nec ad eas, quæ divortium fecerunt.

Nec ad concubinas.

ho-

hodierno prohibetur quidem talis conjunctio, quæ legibus connubii circumscripta non est. *R. J. d. A. 1530. t. 33.* j. *c. 6. dist. 34.* it. *c. 5. XXXII qv. 2.* quod si tamen, posthabita legum autoritate, aliquis ausus fuerit, concubinam habere, pœnam quidem, non tamen rerum ab ejusmodi muliere sibi donatarum jacturam patietur, standumque erit hac in parte Juri Civili v. Trentacinq. *Var. Resol. l. 3. Res. 7.* Sande *de probib. rer. alien. P. 1. c. 2. §. 1. n. 6. 7.* Franc. Marc. *decis. Parl. Delphin. T. 2. qv. 127.*

Pertinet tamen ad eas personas, in quibus jus potestatis vertitur.

§. XVII. Pater uxoris eandem adhuc in sua potestate habens, item hi, qui uxori sunt συνυπεξούσιοι, s. ejusdem potestati subsunt, cui & ipsa est subjecta, marito haud secus, atque uxor ipsa, donare prohibentur *L. 3. §. 2. seqv. ff. d. Don int. V. & U. L. 4. L. 5. L. 25. C. eod.* Jo. Wames *Cent. 1. Cont. 26. n. 2.* Propter jus suitatis enim priori in casu uxor ipsa fingitur marito donare per patrem, posteriori vero in casu idem facere videtur per duas interpositas personas, patris nimirum & fratris sive sororis. Wissenb. *ad π. P. 1. Disp. 47. th. 2.* Cum igitur, quod ad prohibitionem donationis attinet, in uxore & illis personis, in quibus, secundum *L. 3. §. 7. ff. d. Don. int. V. & U.* jus potestatis vertitur, idem plane statutum deprehendatur, quæri potest, annon paria jura iisdem competere debeant ratione privilegii, quod in *L. 40. ff. dict. tit.* & reliquis *supra alleg.* nominatim uxori contra dictam prohibitionem indulgetur, & annon a personis supra recensitis in maritum collata donatio pro valida sit agnoscenda, si facta sit honoris caussa, perinde ac si ab uxore eadem esset profecta. Affirmandum autem hoc esse existimamus, tum quod ubique rationes militent eædem a. *L. 32. ff. ad L. Aquil* tum quod ipse JCtus in *l. 32. §. 16.* & clarius adhuc in *l. 26. §. 1. ff. d. Don. int. V. & U.* ostendat, concessionem in materia donationis conjugi factam ad eas quoque personas esse porrigendam, quæ conjugem habent in potestate vel quæ sunt in ejusdem potestate, in cujus potestate est conjux, & similes. Quæstionem hanc utilitate destitui fatemur illis in locis, ubi filia sui juris efficitur, simulatque matrimonium contraxit: Pater enim ejusdem, nec non fratres

atque

atque ſorores intuitu mariti pro plane extraneis habentur, adeoque tanquam tales liberalitatem in illum libere exercent, non ex jure particulari, ſed communi. j. Sanchez. *de matrim. L. 6. Diſp. 1. n. 10.*

Quibusnam perſonis posſit honoris cauſa donari?

§. XVIII. De illis perſonis vidimus, quæ ex ſpeciali privilegio poſſunt valide honoris cauſſa donare. Quod ad eos attinet, quibus vi ejusdem privilegii permiſſum eſt, donationes ejusmodi recipere, hi ſunt mariti, idque per verba expreſſa eorum, quos ſæpe citavimus, textuum. Debent autem illi nec generatim eſſe prohibiti, aliorum liberalitate frui, nec ſpeciatim ad conſequendos honores inhabiles declarati, quales ſunt filii reorum criminis læſæ majeſtatis *L. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj.* j. de Decoctoribus doloſis *R. J. de A. 1577. t. 23. §. 2.* niſi forte eum in finem his aliquid donetur, ut à Principe reſtitutionem in integrum obtineant. Quibus quaſi fundamenti loco præmiſſis, illa, quæ *§. 14. & ſeqv.* dicta fuerunt de ſponſa, de uxore injuſta, de ea, quæ divortium fecit, it. de concubina, ſi ab hiſce donationes fuerint factæ, ex natura relatorum trahere quoque licebit ad ſponſum, ad maritum, qui talis factus eſt jure prohibente, ad maritum, quem ab uxore ſeparari contigit, denique ad eum, cujus cum muliere conjunctio non matrimonium fuit, ſed concubinatus, ſi nimirum in horum aliquem donatio fuerit collata. Num vero etiam ex mente legum memoratarum (& hodie quidem illis in locis, ubi per ſolas nuptias jus patriæ poteſtatis non extinguitur) dici poterit, poſſe uxorem, it. eas perſonas, in quibus reſpectu ipſius, ſecundum *L. 3. §. 7. ff. de don. int. V. & U.* jus poteſtatis vertitur, valide honoris cauſſa donare 1) patri mariti, qui habet eundem in ſua poteſtate; 2) filiis mariti poteſtati ejusdem ſubjectis. 3) fratribus, qui marito ratione ſupradicta ſunt *συνυπεξούσιοι*? *v. L. 3. §. 2. ſeqv. L. 19. L. 32. §. 18. 20. 21. L. 58. §. 2. ff. d. Don. int. V. & U.* it. *L. 4. L. 25. C. eod.* In ſententiam autem negativam propendere aliquis propterea poſſet, quod, ſi in alium, quam maritum, liberaliter aliquid honoris cauſſa conferatur, uxor exinde verum non ſentiat emolumentum, cum neque ex ſoceri,

ceri,

ceri, neque ex filii vel privigni, neque ex leviri dignitate proprie aliquid in eam redundet, quod tamen semper contingit, si liberalitate, licet non sua, sed patris sui, vel fratris sui, factum fuerit, ut honorem adipisceretur maritus, ut sic appareat, non eandem rationem, quæ secundum §. *præc.* suasit extensionem privilegii ratione subjecti activi, svadere etiam laxam ejusdem interpretationem ratione subjecti passivi. Verum licet hoc largiamur, non, quemadmodum uxoris commodum eodem modo promovetur, sive sua sive alterius munificentia maritus ad honores perveniat, ita quoque non interesse uxoris, sive maritus, sive alius quis, maritum cognatione attingens, per ejusmodi donationem ad dignitatem evehatur; non tamen dubitamus, ex privilegio Legum, qvas §. *6.* recensuimus, illas quoque donationes validas pronunciare, quæ non in maritum, sed alium quem ex personis supra memoratis, honoris caussa fuerunt collatæ. Nam 1) non ob solum uxoris emolumentum confirmatæ fuerunt donationes honoris caussa factæ prout §. *12.* ostensum a nobis fuit, adeoque etiam eodem solo cessante, dici non potest, quod privilegium cessare debeat in Legibus §. *6.* recensitis, comprehensum. 2) Reliquæ rationes quarum in §. *12.* mentio facta, non minus ad eas donationes applicari possunt, quæ conferuntur in patrem, filium, fratremve mariti, quam ad eas, quæ fiunt marito ipsi. 3) *L. 26. §. 1. ff. d. don. int. V. & U.* generaliter pronunciat, quod, quibus ex caussis inter Virum & Uxorem concessæ sunt donationes, ex iisdem & inter socerum & generum nurumve pro concessis debeant haberi, & *L. 32. §. 16. ff. eod.* idem evincit, dum orationem, quæ solum virum & uxorem complectitur, ad cæteros etiam pertinere dicit, qui propter matrimonium donare alias ptohibentur.

An maritus quoque possit honoris causa donare uxori?

§. XIX. Ex his, quæ modo adduximus, simul constare posse videbatur, quod sæpius citatæ Leges, quamvis id solum exprimant, quod uxor possit honoris caussa donare marito, tamen etiam validam declarent eam donationem, quam maritus

tus aliusve, qui per fictionem juris eidem hac in parte exæquatur, confert in uxorem, aliamve personam, quam pariter jura, quod ad hunc articulum attinet, cum uxore comparant. Sed tamen hanc ipsam assertionem, quod nimirum etiam fœminis donari possit honoris caussa, dubiam reddit 1) tritum illud axioma: mulieres ab omnibus officiis publicis, atque sic etiam ab honoribus, esse remotas. *L. 2. ff. de R. I.* j. *L. 3. §. 3. ff. d. mun. & hon.* 2) quod speciatim illi honores, quorum fit mentio in *L. 41. it. L. 42. ff. d. don. int. V. & U.* non ita sint comparati, ut cadere possint principaliter in fœminam 3) quod maritus uxori suæ frustra videatur aliquid donare honoris caussa, cum quemcunque honorem illa consequatur, ex dignitate tamen æstimetur mariti sui, tam eo superstite, quam mortuo, quamdiu ad nova vota non transit. *L. 9. C. d. incol. L. 13. C. d. dign. L. 8. ff. d. senator. L. 22. §. 1. ff. ad. munic.* 4) quod ex facultate donandi uni conjugum concessa, non illico possit argumentum duci ad ejusdem facultatis concessionem etiam alteri conjugum factam per *L. 33. §. 1. ff. d. don. int. V. & U.* Verum objectiones istæ omnes non ejus sunt efficaciæ, ut earum intuitu recedendum esse existimemus à priori assertione, nimirum quod perinde, ut uxor marito, ita vicissim aliquis uxori, nurui, uxorisve sorori honoris caussà validam donationem facere possit. Respondemus autem ad argumentum 1) quod Leges allegatæ removeant saltem fœminas ab iis honoribus, qui annexam habent aliquam administrationem vel officium aliquod publicum. Sed dantur etiam honores absque administratione. Benekend. *ad d. L. 2. ff. d. R. I. P. 2. a. 1. m. 3. n. 1. 2.* Dantur honores, qui proprii sunt sexui muliebri, quibus e.g. ornantur, quæ in aulis adhærent lateri Reginarum, aliarumve Principum fœminarum. Cumque non ita se virtus constringi patiatur, ut certo semper adhæreat sexui Lips. *Polit. 2. c. 3.* multis in locis vi legum vel consuetudinum particularium factum est, ut ad eas quoque dignitates adspirare possint mulieres, quibus administratio quædam cohæret. Dec. *ad d. L. 2. n. 5. seqv.* j. Chassan. *catal. glor. mund. P. 2. consi. 40.* Becmann. *Synt. dign. illustr. disp. 10. c. 1. §. 6.* Ad 2) quod exempla saltem ibi commemoren-

tur, quorum officium non eſt, regulam reſtringere, ſed declarare. Ad 3) quod hunc ipſum honorem impetrare poſſit uxor, ſecundum *L. f. ff. de Senat.* ut, ſi mortuo priori marito, nupſerit iterum minoris dignitatis viro, nihilominus in priſtina maneat dignitate; ut taceam α) ſemper fortius eſſe privilegium, quod quis ſuo, quam quod alieno jure poſſidet, adeoque non male ſibi conſulere uxorem, ſi propriis coruſcare malit radiis, quam communicatis tantummodo à marito Dec. *l. c. n. 7.* j. Dn. Stryck. *in Uſ. Mod. π. Tit. de Senat. §. 7. ſeqv.* β) ne hoc quidem ſemper & ubique obtinere, ut ex honore mariti ſit metienda dignitas uxoris, prout hoc pluribus deducit Chaſſan. *c. l. p. 118.* j. Myler. ab Ehrenb. *Gamol. c. 5. §. 28.* Denique ad 4) quod in caſu *d. L. 33. §. 1. ff. d. don. int. V. & U.* ſpecialis ratio ſubſit, quæ extenſionem ab uno conjugum ad alterum fieri vetat, id quod ſecus eſſe in caſu præſenti ſupra probavimus j. Cæſ. Argel. *de Acqv. poſſ. qv. 3. a. 13. n. 19.*

Quænam res ita posſint donari? §. XX. Donari poſſunt honoris cauſſa res omnes in commercio exiſtentes, quarum alias donatio vel alienatio non eſt prohibita, & quæ ad conſequendos honores quocunque modo poſſunt eſſe utiles. Non igitur excluduntur res immobiles, *L. 35. §. 1. ff. d. donat. L. 15. C. eod.* neque incorporales *L. 2. L. 11. in fin. C. eod. L. 15. C. d. S S. Eccleſ.* neque futuræ *L. 3. C. d. donat.*

Num alienæ? Res autem alienæ ad hanc donationis ſpeciem, quæ non niſi ex privilegio valet, regulariter non pertinent. Hæ enim, ita ſcilicet, ut uſucapi poſſint, inter conjuges etiam non honoris cauſſa valide donantur. *L. 25. ff. d. don. int. V. & U.* j. Brunn. *ad. L. 14. C. d. donat* it. Sande *de prob. rer. alien. c. 2. §. 2. n. 17.* Quod ſi tamen ad ejusmodi rei alienæ, conjugi donatæ, evictionem agatur,

Num dotales? aliud dicendum, de quo infra §. 48. Ex bonis dotalibus an uxor ejusmodi donationem facere queat hoc loco quæri poteſt? Illud enim dubio caret, quod ex bonis paraphernalibus hoc fieri poſſit, etiam in Saxonia, ubi per arg. Land-Recht. *l. 1. art. 31. 45.* uſusfructus horum bonorum marito conceditur v. *L. 4. ff. Uſufr. quemadm. cav. L. 27. ff. quib. mod. uſus fr.* Sed ratione rerum dotalium, quo minus idem aſſeramus non tam ob-

ſtat

ſtat dominium, quod in his rebus marito jam competit *pr. J. quib. alien. lic. §. 40. I. de rer. div. L. 9. C. d. R. V. t. t. ff. pro dot.* j. Lycklam. *Membran. L. 7. Ecl. 26. in pr.* quam potius expreſſa in Legibus & ſæpe repetita conſtitutio, per quam conjugibus adimitur facultas, tale quid faciendi, per quod ratione uxoris cauſa dotis reddi poſſit deterior *L. 2. L. 6. L. 12. L. 14. L. 16. L. 18. ff. d. pact. dot. L. 3. C. d pact. convent. j. Boer. decis. 208.* Equidem cum his, qui mariti ſaltem dominium in rebus dotalibus urgent, facile tranſigere poſſemus. Nam hi & illud confiteri neceſſe habebunt, quod uxor pariter ſit domina rerum, quæ in dotem datæ fuerunt, ob *L. 3. §. 5 ff. d. minor.* it. *L. 75. ff. d. jur. dot.* & quod maritus, tametſi dominus, ſimul tamen debitor ſit earundem rerum *L. 30. C. de jur. dot. L. un. d. R. U. A.* ut ſic conſtante quoq; matrimonio in rebus iſtis inveniatur aliquid ad uxorem pertinens, quod ipſa poſſit transferre, & contra aliquid ad maritum nondum pertinens, quod ipſe poſſit accipere. Quod vero ad alterum argumentū attinet, ad illud infringendum non ſufficere puto, quæ de favore donationis ob honorem factæ, de emolumento, quod per eandem aſſequuntur uxores, de generali conceptione verborum, quæ habentur in Legibus §. *6.* adductis, vel aliàs afferri poſſunt. Ideoque non audeo validam pronunciare ejusmodi donationem, ſi facta ſit ab uxore ex bonis dotis nomine illatis j. Carpz. *P. 3. C. El. 7. d. 12. n. 5. 6.* Facilius videtur admitti poſſe, ut maritus donet aliquid uxori ex rebus dotis nomine acceptis ad conſequendum honorem. Primo enim hoc in caſu dici non poterit (ſaltem non ſemper) quod cauſſa dotis ratione uxoris reddatur deterior, deinde etiam manente matrimonio permittitur marito, juſtas ob cauſſas dotem reſtituere non perdituræ uxori *L. 73. §. 1. ff. d. jur. dot.* Et in *N. 22. c. 39.* it. *L. un. C. ſi dos conſt. matrim.* expreſſe dicitur, quod ſi deficiat cauſſa ex his, quæ in Legibus enumerantur, inſtar donationis, id quod agitur, hoc ipſo eſſe videatur. Quod, ſi igitur anticipata reſtitutio dotis a marito facta debet naturam donationis inter conjuges in aliis imitari, cur non etiam ratione privilegii, quod his donationibus per Leges à nobis exhibitas

indulgetur? j. Petr. Barbos. *ad L. 2. p. 2. ff. solut. matrim.* Menoch. *Cons. 378. n. 38.*

An res geradicæ?

§. XXI. De rebus, quas Jus Saxonicum sub nomine Geradæ complectitur, eodem Jure constitutum est, ut uxor quidem illas per donationem inter vivos transferre possit in extraneum, non vero in maritum. *P. 2. C. El. 13. & 14. pr.* Sed annon subsistet harum rerum donatio, si collata quidem fuerit in maritum, verum honoris caussâ? Negandum esse videtur 1) ob verba, quibus usus est Serenissimus Legislator in *d. Const. 13.* Diese Donation ist auch so fern und weit unkräfftig/daß sie durch folgendes Absterben der Frauen nicht bekräfftiget wird; unde colligere quis posset, ita interdictam esse hujusmodi rerum donationem, ut ad eandem nullo modo trahi debeat, si quid ratione aliarum inter conjuges donationum Leges Civiles peculiare statuerint; 2) propter exceptionem, quam idem Serenissimus Legislator dictæ Constitutioni adjecit, ratione donationis antidoralis seu remuneratoriæ, ex quo iterum colligi potest, in casibus non exceptis standum esse regulæ generali, & prohibitioni, quam illa continet. Nos tamen idem affirmandum esse putamus, cumque subsidiariam juris civilis autoritatem in terris Saxonicis quilibet agnoscat, satis erit probata hæc nostra assertio, si ostenderimus, nihil habere Constitutionem allegatam, quod sit contrarium Legibus Justinianeis. Apparet autem, ad harum exemplum, & non ob specialem quandam caussam, prohibuisse Electorem Saxoniæ donationem rerum geradicarum marito factam ab uxore. Credendum igitur, quod non ulterius ista prohibitio progrediatur, quam prohibitio Juris Romani. Et licet Jus Romanum valere jusserit donationes inter conjuges factas, si per mortem donantis fuerint confirmatæ, hoc autem secundum dictam constitutionem non procedat in donatione rerum geradicarum, exinde tamen nihil poterit elici ad nostram sententiam destruendam. Res enim geradicæ Jure Saxonico ita sunt comparatæ, ut primo statim momento mortis fingantur esse acquisitæ proximæ cognatæ, adeoque ad mortis caussâ donatricem vel testatricem amplius non pertinere. *Dn.*

Menck,

Menck. Tract. Synopt. Instit. p. 13. Ob hanc specialem rei donatæ qualitatem, minime vero ob peculiare odium quoddam donationis ipsius, hac in parte recessit Elector à Jure Civili; id quod ex eo quoque manifestum redditur, quod idem Serenissimus Elector omnem rerum geradicarum donationem, in mortis eventum collatam, pronunciaverit irritam licet alii, quam marito, liberalitas ejusmodi fuerit destinata. *P. 2. Const. El. 14.* ibique Carpz. *def. 1.* Constat igitur, non solum verba allegata specialiter esse concepta, sed eorum quoque rationem esse specialem, adeoque non derogatum esse in casibus non expressis autoritati Juris Civilis. Majus adhuc momentum habent ea, quæ secundo loco fuerunt allata de donatione remuneratoria. Sed integer contextus, ipsaque verborum finalium structura, satis ostendit, non aliam fuisse Legislatoris mentem, quam ut exemplo quodam declararet, eas omnes donationes inter conjuges, quæ secundum Leges civiles non morte demum confirmantur, sed ipso jure & initio statim subsistunt, jure quoque Saxonico validas esse debere, licet res ita donatæ fuerint geradicæ. Indicant hoc potissimum verba: Daß sie ipso jure unter denen Eheleuten und alsbald von Anfang zuläßlich. Tantum igitur abest, ut sententiæ, quam defendendam nobis elegimus, verba ista finalia quicquam noceant, vt potius apprime faciant, ad eandem confirmandam. Sicut autem secundum Carpz. *P. 2. C. El. 13. d. 13.* it. *P. 3. Const. 38. d. 34.* ubi non manifesta subest ratio differentiæ, firmiter argumentari licet à Gerada ad res expeditorias s. Heergewettam; ita post ea, quæ modo diximus, non opus erit, pluribus ostendere, quod maritus res ad Heergewettam referri solitas, haud secus, atque alias res perfecte ad se pertinentes, honoris caussa donare possit suæ uxori. An Heergewetticæ?

§. XXII. De qualitate earum rerum vidimus, quas ad dignitatem adipiscendam conjuges sibi donare queunt. Sequitur, ut de quantitate illarum paucis dispiciamus. Solennis alias inter Doctores est controversia, an, quemadmodum res singularis & pars bonorum, ita quoque tota bonorum universitas per donationem valide possit in aliquem transferri. Non potest honoris caussa valide plus donari, quam ad consequendum honorem est necessarium.

Affir-

Affirmant multi propter *L.35.§.4.5.C.d.Donat.L.5. C. d. inoff. don.L.8.C.d.revoc.don.* v. Dn. Menck. *Tract. Synopt. π. p. 485.* Mæstert. *de Iustit.Rom. LL.Lib.11. dub.43.* Jo. Wames. *Cent. 2. Cons.12.n.3.7.8.* Treutl. *Select. Disp. V.11. disp.19. th.5,* ibique Bachov. *lit.c.d.* Negant alii propterea præcipue, quod per talem donationem contra *L.52.§.9.ff. pro Soc.* & *L.15. C.d. pact.* facultatem testandi donator sibi adimat. v. Brunn. *ad L.27.C. de mort.causs.don.n.9.* Carpz. *P.2.C.El.12.d.26.* Tamburin. *Expedit. Jur.L.9.tract.10.c.7.§.1.2.* Hartm. Pist. *Obs.10. n.1.2.* Sim. van Leeuwen *Cens. For. L.4.c.12.n.13.* Quicquid vero de aliis donationibus hac in parte statuatur, de ea certe, cujus tractationem præsenti loco sumus aggressi, vix videtur asseri posse, quod per illam donans omnia bona possit in alterum conferre; licet forte ita comparatus sit honor, cujus intuitu liberalitas exercetur, ut ad eum consequendum non pars bonorum sufficiat, sed universæ donantis facultates requirantur. Sane Legislatores, dum donationes inter conjuges vetuerunt, nihil fere magis respexisse constat, quam hoc, ne sua munificentia maritus vel uxor redderetur pauperior, quam ante fuit. Quanquam igitur certis in casibus, speciatim vero in donationibus honoris caussa factis, laxaverint aliquid ex juris rigore, secundum *L.32.pr.ff. d. Don.int.V.&U.* id tamen non eo usque videtur esse extendendum, ut quoque donationes istæ pro validis debeant agnosci, si conjugem non comparate (ut ita loquar) sed simpliciter & absolute pauperem reddant, bonisque omnibus ablatis, ad ipsam mendicitatem detrudant. Hoc enim & indignum foret amore conjugali, & Reipubl. damnosum, quippe cujus præcipue ratione uxorum interest, ne per effusas donationes ipsæ fiant indotatæ. *L.1.ff.sol.matr.L.2.ff.d.pact.dot.* Kohl. *d. pact. dot.p.1.n.81.* j. ea, quæ diximus *§.20.* Sed ne ita quidem subsistet omnis donatio, quæ honoris caussa fit inter conjuges, si totum non exhauriat patrimonium. Nam tum quoque, si saltem res singularis vel pars bonorum donetur, intra certos limites liberalitas ejusmodi se continere debet, nec ultra id, quod ad dignitatem istam necessario requiritur, quicquam potest

teſt conjux in alterum hoc modo conferre, ſive (ut ſunt verba Legis *40. ff. de don. int. V. & U.*) quod adipiſcendæ dignitatis gratia ab uxore in maritum collatum eſt, *eatenus ratum eſt, qvatenus ſupplendæ dignitati opus eſt.* Atque ſic quoque videntur eſſe intelligenda verba *Legis 21. C. eod. cum hac ad dignitatem profuerit.* j. verba *L. 14. ff. eod. in tantum, in quantum ædificii exſtructio poſtulat.* Perez. *in L. V. Cod. tit. 16. n. 7.* In conjugibus ſecundo vel ulterius nubentibus id ſpeciale eſt, quod, exiſtentibus liberis prioris matrimonii, non poſſint in conjugem alterum quâcunque ratione (adeoque ne dignitatis quidem adipiſcendæ obtentu) plus transferre, qvam uni ex liberis primi matrimonii, cui minimum ceſſit, datum fuit vel relictum *L. 6. C. d. ſecund. nupt.* Quam conſtitutionem in Belgio hodienum obſervari docent Grot. *introd. L. 2. t. 16. in fin.* Sim. van Leeuwen *Cens. For. L. 3. c. 4. n. 45.* Sande *decis. Fris. L. 2. T. 3. def. 4. ſeqv.* In Saxonia vero eandem per contrariam conſuetudinem abrogatam eſſe, ſtatuit Carpz. *P. 2. C. El. 43. d. 17. n. 3. ſeqv.* Diſſ. Dn. Menck. *Tract. Synopt. π. p. 346.*

Speciale in conjugibus ſecundo nubentibus.

§. XXIII. Reqviritur in his donationibus perinde, atqve in aliis, ut concurrat voluntas donantis. *L. 10. C. d. donat. L. 11. ff. d. R. I.* cum voluntate ejus, cui donatur *L. 69. ff. eod. L. 19. §. 2. ff. d. donat. L. 8. §. 3. ff. d. bon. libert.* Debet autem iſta voluntas, & ſpeciatim quidem ratione ejus, qui donat, 1) *vera* eſſe, non errore, qui ſubſtantialis dici ſolet, elicita *L. 116. §. 2. ff. d. R. J. L. 2. ff. d. Judic. L. 15. ff. d. Juriſd. d. L. 10. C. d. don.* ubi nihil intereſſe exiſtimo, ſive dolus alterius, ſive propria tantum ignorantia circa factum, factive circumſtantias, occaſionem errori præbuerit, *L. 2. L. 9. ff. d. jur & fact. ign.* 2) omnino *libera*, non metu injecto extorta *d. L. 116. pr. ff. d. R. J. L. 1. ff. quod met. cauſſ.* Maritali tamen ſermone in hôc quoque caſu licitum erit, judicium uxoris in ſe provocare, per *L. f. ff.* & *L. f. C. ſi quis aliqv. teſt. prob.* ac viciſſim uxori permittitur, adhibitis blanditiis in ſuum commodum maritum perducere arg. *dd. LL.* 3) *certa*, non enim conjecturis facile relinquitur locus, quoties de donatione agitur *L. 25. ff. d. probat* j. *L. 4. L. 7. L. 8. C. d. don. L. 26. ff. eod.* Manz *de legit. qv. 41. n. 23.* Ex argumento tamen Legis *13. §. f.*

Conſtare debet in hac donationis ſpecie de voluntate tam donantis, quam donatarii.

E *ff. d.*

ff. d. don. int. V. & U. colligi poteſt, quod credendum ſit, conjugem habuiſſe voluntatem donandi, ſi ſimpliciter aliquid dederit conjugi ad impetrandum honorem, cujus petitionem alioquin, (ſ. citra dationem iſtam) accipiens intermiſiſſet. j. Struv. *S. J. C. Ex. 40. th. 5.* Regulariter igitur ſignis manifeſtis declarari debet animus donandi, immo & Jure Civ. evidenter conſtare debet de animo donationem accipiendi *L. 2. §. 6. L. 10. ff. d. donat.* Trentacinqu. *L. 3. reſol. 1. n. 3.* Vasqv. *illuſtr. contr. L. 2. contr. 62. n. 12. ſeqv.* licet hoc ultimum moribus hodiernis non ubivis reqviratur, quemadmodum de Hiſpania docet Gomez. *Var. Reſol. T. 2. c. 4. n. 2.* j. Grönew. *ad d. L. 10.* Ant. Fab. *de error. pragmatic. dec. 47. err. 1. n. 3.*

Quæ declaratio variis modis ac ſignis fieri poteſt.

§. XXIV. Præſentia tamen donantis, & ejus, cui donatio facienda, neceſſaria non eſt *L. 6. C. d. don.* ſed per literas quoque mutuus conſenſus declarari poteſt *L. 5. L. 30. C. eod.* Wiſſenb. *ad π. V. 2. Diſp. 16. th. 13. ubi praj.* item per nuncium *L. 10. ff. d. t.* vel per procuratorem *L. 4. ff. L. 20. C eod.* Sed qui donantis nomine, tanquam procurator, valide vult intervenire, ſpeciali mandato debet eſſe inſtructus. *4. c. 81. d. R. J. 6. L. 25. §. 5. ff. de acqv. l. omitt. her.* Sim. van Leeuwen *Cens. For. L. 4. c. 12. n. 16.* Olim per ſimplex pactum donationes fieri non potuiſſe plerique ſtatuunt, & neceſſariam ſemper fuiſſe (præterquam ſi quid donaretur inter parentes & liberos) traditionem vel mancipationem vel ſtipulationem, apparet ex *L. 4. & 5. C. Th. d. don.* Cujac. *in Libr. 71. Paul. ad edict. ad §. ſi donavi.* Jure novo nec traditio reqviritur ad perficiendam donationem, nec ſolennis aliquis contractus, ſed ſimplex conventio ſufficit *L. 35. §. 5. C. d. donat. N. 162. c. 1. §. 1.* Scriptura quoque ut interveniat, regulariter opus non eſt, *L. 29. L. 31. C. eod.* nec ante tempora Theodoſii aliud obtinuiſſe per arg. *L. 25. C. eod.* ſatis evinci poteſt. v. Brunn. *ad d. L. n. 4.* Treutl. *ſelect. Diſp. V. 2. D. 19. th. 6. lit. b.* ibique Bachov. licet ita videatur Godofredo *ad. d. L. 25.* it. *ad L. 29. C. d. donat.* Legibus Viſigothorum ſemper videtur adhibenda fuiſſe ſcriptura, niſi rem ipſam donatam aliquis alteri tradiderit, Leg. Viſigoth. *L. 5. tit. 2. c. 6.* ap. Lindebrog. *in Cod. LL. Antiqv. p. 98.* Poteſt etiam ex *L. 1. C. Theod. d. donat.* colligi, quod

quod non aliter Jure veteri donationes subftiterint, quam si vicini vel testes alii fuerint convocati v. Godofr. *ad. d. L. 25. it. 31. C. eod.* Et secundum ea, quæ habet Lindebrog. *c. l. p. 284.* apud Burgundos quondam specialiter fuit constitutum, ut non pauciores 5. testibus actui donationis interessent Jure novo testium præsentia minime requiritur ad validitatem donationum *L. 31. C. dict. tit.* melioris tamen probationis gratia solent adhiberi, idque tum præcipue, si nec promissio, liberali animo facta, redigatur in scripturam, nec eandem continuo sequatur traditio rei donatæ; ubi tamen plures duobus haud erunt necessarii a. *L. 12. ff. de Testib.*

§. XXV. Ad hanc igitur donationem, quæ, ex speciali Legum beneficio, honoris caussa inter conjuges suscipitur, regulariter sufficiet voluntatis declaratio quomodocunque facta, ita, ut animo donandi probato non ambigi debeat, donationem esse celebratam, licet vocabulum donationis vel expressum non sit, vel etiam aliud ac plane diversum fuerit adhibitum. *L. 46. ff. locat. L. 3. C. d. contr. emt. t. t. Cod. plus val. quod ag.* Est autem exemplum hujusmodi donationis, sub aliis involucris dissimulatæ: si, animo liberalitatem exercendi, res minoris alteri vendatur *L. 5. §. 5. L. 7. §. 6. L. 31. §. 3. ff. d. don. int. V. & U.* si pactum adjiciatur contractui, ne id, quod ex natura conventionis illius debetur, ab altera contrahentium parte præstetur. *d. L. 31. §. 5.* si res vel commodati, vel locationis, titulo alicui concedatur, sed viliori pretio venditionis gratia æstimata *L. 7. §. 5. L. 52. ff. eod.* si omittatur exceptio, qua probata non fuisset alteri res adjudicata. *L. 5. §. 7. ff. eod. &c.* Talium vero donationum, quæ donandi animum aperte præ se ferunt, sed tamen nec rei alicujus vera traditione, nec promissione proprie sic dicta ac directa, perficiuntur, varia exempla, variosque modos in LL. deprehendere licet. Sic donat uxor vel maritus, si mortis causa sibi traditurum jubeat conjugi tradere *L. 4. ff. d. don. int. V. & U.* vel aliàs sibi donaturum jubeat eidem donare *L. 3. §. f. ff. eod.* Si debitorem suum jubeat conjugi solvere *d. L. 3. §. 12. L. 39. ff. eod. L. 11. C. d. donat.* vel actiones adversus alios sibi competentes eidem cedat *L. 2. C. eod.* si se patiatur

Licet non exprimatur vel etiam dissimuletur nomen donationis.

delegari creditori conjugis, cui donatum vult *L. 5. §. 5. ff. d. dol. mal. exc.* si remittat ipsi debitum *L. 5. §. 5. L. 21. §. 1. L. 32. §. 23. ff. d. don. int. V. & U.* vel illud accepto ferat *L. 5. §. 1. ff. eod. L. 17. ff. d. don.* si pactum ineat de non petendo intra certum tempus, quod sibi debetur *L. 9. ff. eod.* Si restituat sine deductione totam hæreditatem, quæ secundum testatoris voluntatem non, nisi certa quantitate præcepta, erat restituenda *L. 5. §. 15. ff. d. don. int. V. & U.* Si solvat ante diem id, quod debebat. *L. 31. §. 6. ff. eod.* Si repudiet hæreditatem vel legatum sibi relictum in utilitatem conjugis, vel sibi legaturum roget, ut conjugi relinquat. *L. 5. §. 13. 14. L. 31. §. 7 ff. eod.* & sic porro. Notandum tamen de tribus casibus posteriori loco enumeratis, quod conjuges ita donantes non æque, ac in prioribus, indigeant privilegio constitutionum, quas §. *6.* recensuimus, cujus rationem ex legibus, quas singulis casibus adjecimus, cognoscere licebit.

An uxor honoris causa fidejubens habeat exceptionem SCti Vellejani?

§. XXVI. Si maritus dignitatis adipiscendæ gratia mutuum accipiat, & uxor hanc ejus obligationem in fidem suam recipiendo pro eodem intercedat, non propterea ipsi denegandum erit auxilium SCti Vellejani, quod pecunia, cujus intuitu fidejussit, ad consequendum honorem fuerit impensa. Non enim quibus in casibus valida est mulieris donatio, in iisdem etiam pro valida debet agnosci ejusdem fidejussio *L. 4. §. 1. ff. ad SCt. Vellej. j. L. 8. §. 5. ff. eod.* cum facilius persuaderi possit mulier, ut se obliget, & quidem in eventum adhuc incertum, quam ut alteri aliquid donet. *d. L. 4. j. L. 16. C. d. don. ant. nupt.* Quod si tamen animo donandi pro tali mutuo uxor fidem suam creditori mariti obstringat, quoniam in rei veritate donatio celebratur *v. §. prac.* cessabit beneficium dicti SCti, & ejusmodi liberalitas easdem habebit vires, ac si aperte omnia fuissent acta, nec paciscentes adhibuissent fictum atque inane fidejussionis nomen.

Insinuatio judicialis requiritur in hac donatione, si excedat 500. solidos.

§. XXVII. Ut magis circumspecte, animoque magis deliberato, procederent homines ad munificentiam, sibi plerumque, nonnunquam & aliis, damnosam, simulque via præcluderetur fraudibus eorum, qui bonis alienis plus, quam par est, imminent, Legislatores quasdam donationes non aliter valida-

ditatem habere voluerunt, quam si apud magistratum actis intervenientibus essent insinuatæ, h. e. literis publicis consignatæ. Et primo quidem cautum hoc fuisse existimant Lege Cincia de qua Ulp. *tit. 1. §. 1.* j. Manut. *de LL. Roman. p. 161. 267.* Constantinus Imperator non solum confirmasse dictam Legem perhibetur, verum etiam eandem magis extendisse, dum quamlibet donationem, quæ summam 200. aureorum excederet, publica actorum testificatione confici jussit *L. 27. C. d. Donat.* Justinianus autem quantitatem istam primum auxit ad 300. deinde ad 500. solidos *L. 34. L. 36. §. f. C. eod.* ita, ut quicquid ultra eandem esset donatum, omni juris effectu destitueretur, nisi in tabulas publicas solenniter foret relatum *dd. LL. j. Nov. 162. c. 1. §. f.* Sande *Dec. Fris. L. 5. t. 1. d. 3.* In his donationibus, quæ jure permittente fiunt honoris causa inter conjuges, eandem insinuationem judicialem necessariam esse arbitramur, si ultra 500. solidos (apud nos ultra 500. aureos Hungaricos) donetur. Etenim si *vel maxime inter necessarias conjunctasque personas clandestinis ac domesticis fraudibus facile quidvis pro negotii opportunitate confingi potest, vel id, quod vere gestum est, aboleri* secundum *L. 27. C. d. donat. & L. 5. C. Th. eod.* non minor, & fortassis etiam major, est ratio, quæ conjugum, quam quæ aliorum donationes insinuari suadet. v. Brunnem. ad *d. L. 27.* j. Richt. *Var. Jur. Decis. P. 1. dec. 22. n. 58.* Leges etiam dictam insinuationem requirentes, dum casus alios, non vero hunc, excipiunt, satis manifesto indicant, à regula generali hic recedendum non esse. Maximum autem firmamentum huic nostræ assertioni accedit per *L. 25. C. d. don. int. V. & U.* quæ verbis disertis judicialem insinuationem exigit in donatione inter conjuges facta, & per mortem donantis confirmata, luculento indicio, quod etiam in reliquis donationibus, quæ inter maritum atque uxorem jure speciali sustinentur, prætermitti non debeat ista solennitas, si ultra 500. ducatos in conjugem fuerit collatum; Ut taceam, ne eas quidem donationes, quæ conferuntur in pias causas, ab insinuationis hujusmodi necessitate regulariter esse exemtas, cum tamen dubio procul major sit illarum favor, quam dona-

tionum, quæ fiunt honoris causa *L. 35. §. f. C. d. don. L. 15. L. 19. C. d. SS. Eccl.* Wesenb. *ad Tit. d. Don. n. 6.* ibique Hahn. *p. 613.* Perez. *ad eund. Tit. n. 34. 35.* Philipp. *decis. 22. obs. 3. n. 6. seqv.*

Respondetur argumentis eorum, qui dissentiunt.

§. XXVIII. Non infringitur hæc Thesis 1) per *Nov. Leon. 50.* hujus enim receptio ante debet ostendi, quam quid per illam possit probari. 2) per ea, quæ in *Nov. 119. c. 1. junct. N. 127. c. 2.* habentur de donatione propter nuptias: ab hac enim ad alias donationes non recte procedit argumentatio. 3) per receptam à multis DD. sententiam, quod ob causam factæ donationes non opus habeant insinuatione, v. Tiraqv. ad *L. 8. C. de rev. don. n. 47.* Cœl. Bich. *Decis. Rot. Rom. 207. n. 26. 27.* Brunnem. ad *L. 34. C. de Donat.* hoc enim si non plane rejiciendum est, minimum restringi debet ad donationem remuneratoriam, & quidem talem, ubi merita adsunt, non solum singularia, verum etiam liberalitati æqualia *arg. L. 27. ff. d. Donat.* Dn. Stryck. *in Annot. ad Lauterb. p. 860.* Dn. Menck. *Tract. Synopt. π. p. 484.* Carpz. *P. 2. C. 12. d. 15. n. 5.* Tum vero necessitatem insinuationis deficere largimur, si plures summæ, quæ in unum collatæ 500. solidos superant, diversis temporibus in conjugem fuerint collatæ. *L. 34. §. 3. 4. C. d. don.* j. Zoes. *ad d. t. n. 52.* item si remittantur vel minuantur usuræ temporis futuri, licet id, quod sic fuit remissum, dictam quantitatem excedat *L. 23. ff. d. donat.* Quamvis enim paria censeantur esse, donare atque remittere, a. *L 9 ff. eod. L. 10. ff. d. cond. causs. dat.* adeoque quod in uno obtinet, locum quoque videatur habere in altero; hoc tamen tum demum procedere statuunt Doctores, si debitum sit liquidum, ejusque dies jam cesserit Gomez. *Var. Resol. T. 2. c. 4. n. 9.* Jac. Cancer. *Resol. P. 1. c. 8. n. 4. ubi plura.* Aliis in casibus, si donatio, quam honoris caussa conjux in conjugem confert, dictam summam excedat, adeo necessaria est insinuatio, ut nec possit eidem renunciari a. *L. 38. ff. d. pact. L. 55. ff. d. leg. 1.* Treutl. *V. 2. Disp. 19. th. 6. lit. f.* ibique Bachov. Ant. Fab. *in Cod. L. 8. t. 38. d. 5.* nec jusjurandum, donationi non insinuatæ accedens, possit impedire, quo minus Jure Canonico & hodierno saltem hæredibus donantis ob *c. 28. X. de Jurej.* Jure vero Civili etiam ipsi donanti *L. 7. §. 16. ff. d. pact.*

L. f.

L. f. C. d. non num. pec. competat facultas, id, quod ultra legitimam quantitatem donatum fuit, retinendi. Carpz. *P. 2. C. El. 12. d. 14.* Wissenb. *ad π. V. 2. Disp. 16. th. 13.* j. Gail. *L. 2. obs. 39. n. 12.* it. Cancer. *d. l. n. 5. 7.* qui in Catalonia donationem quamlibet, jurejurando confirmatam, citra insinuationem plenissimam vim habere affirmat. Potest autem hæc ipsa insinuatio apud quemvis magistratum, licet alias incompetentem, suscipi. *L. 27. in fin. L. 30. C. d. don.* cui non contradicit *L. 32. C. eod.* quippe ad solas donationes in urbe Constantinopolitana factas pertinens. Dn. Svendend. ad Eckh. *L. 39. t. 5. §. 8.* Struv. *Synt. J. Civ. Ex. 40. th. 10.* Diss. Brunnem. *ad d. L. 27. n. 10. seqv.* Menoch. *cons. 84. n. 50. 51.* Reliqua modum sive formam hujusmodi insinuationis respicientia videri possunt ap. Meier. in *Coll. J. A. Tom. 2. p. 1092. 1093.*

§. XXIX. Jure Saxonico in omni bonorum immobilium donatione, licet æstimationem 500. aureorum non excedat, requiritur insinuatio solenniter facta, & quidem apud eum judicem, sub cujus jurisdictione sita sunt bona donata propter Weichb. *a. 20.* Land R. *l. 1. a. 52. & 21.* Carpz. *P. 2. C. El. 12. d. 19.* Quod si bona ista immobilia sint avita, h. e. ab avo aviave vel remotioribus ascendentibus profecta, eodem jure, præter confirmationem judicialem, descendentium requiritur consensus. Land R. *L. 1. a. 52. P. 2. C. El. 12.* Præterea apud Saxones in donatione Geradæ (quam supra ostendimus, honoris caussa in maritum conferri posse) illud observare debet uxor, ut si judicialiter eandem perficere velit (id quod necessarium est, quatenus 500. Solidos excedit) vel in loco judicii coram judice pro tribunali sedente, vel alibi coram personis judicii nomine ablegatis, adhibito consensu curatoris (& quidem non legitimi, sed confirmati) tradat marito designationem rerum ad geradam pertinentium, unà cum clavibus, totumque hunc actum publicis monumentis inseri curet. *P. 2. C. El. 14. pr. & §.* Da auch Si vero visum uxori fuerit, extra judicium dictam donationem, non excedentem 500. solidos, in maritum conferre, Notarium cum testibus adhibeat, vel testes alios duos vel tres, unà cum curatore generaliter constituto

Quidnam observandum in Saxonia, si immobilia ita donentur?

vel bona avita;

vel res geradicæ;

to

to *Dec. El. 24.* hisque præsentibus claves rerum geradicarum, n conspectu arcarum, quibus illæ continentur, vel res ipsas donatas, tradat. *d. C. El. 14. §. pen.* Vicissim maritus, si donare velit uxori res Heergewetticas, easdem observare debet solennitates, sive in judicio, s. extra judicium celebret istum liberalitatis actum. Carpz. *P. 2. C. El. 13. d. 13.* it. *P. 3. C. El. 38. d. 34.* eo solo excepto, quod curatorem ipse non teneatur adhibere. Uxores contra non solum res geradicas, verum etiam res alias donare volentes, Jure Saxonico indigent curatore *P. 2. C. El. 13. Decis. El. 24.* ibique Philipp. *Obs. 111. n. 7.* & si secundum ea, quæ diximus *§. 18.* honoris caussa filiis mariti, vel aliis præter maritum, donare aliquid intendant, non sufficiet extranei Curatoris consensus, sed & mariti, tanquam curatoris legitimi, voluntas accedere debet *d. Dec. 5.* LandR. *l. 1. a. 45.* sine qua mariti autoritate nullum plane negotium, adeoque nec donationem, celebrare posse uxores in Comitatu Burgundico, in Ducatu Burbonensi, in Tractu Nivernensi, & fere in tota Gallia, docet Chassan. *in Consuet. Duc. Burg. rubr. 4. §. 1.*

vel Heergewetticæ ?

Etiam in Saxonia uxores honoris caussa sibi donantes, opus habent privilegio Legis 42. &c.

§. XXX. Illud vero de Saxonia quam maxime notandum, quod mores ibi recepti quamlibet donationem inter conjuges approbent, dummodo judicialiter fuerit facta, & actis publicis insinuata, prætereaque ab uxore donatura peculiaris curator sit adhibitus Gloss. *lat. ad text. germ.* LandR. *L. 1. a. 31. lit.* J. Schilt. *ad ff. Ex. 36. §. 102.* Moller. *ad P. 2. C. El. 15, n. 48. seqv.* Exinde tamen confici nequit, privilegium, per LL. *§. 6.* recensitas indultum, sublatum esse in Saxonia vel superfluum. Nam si judicis copiam habere non possint conjuges, vel sibi magis conducere existiment, si citra ullum strepitum intra privatos parietes donationem honoris caussa perficiant, non aliter illa, quam ex beneficio dictarum Legum, poterit valere.

Potest etiam his donationibus tempus adjici, it. modus & conditio.

Postremo illud adhuc tribus verbis notasse sufficiet, prius quam de forma harum donationum dicere desinamus, quod illæ haud secus, atque aliæ, recipiant adjectionem temporis, conditionis & modi *tot. tit. C. d. don. quæ sub. mod. L. 2. § 5. 7. L. 18. §. 1. ff. d. don.* Cui sententiæ minime repugnat, quod ipsæ donationes istæ sua natura semper sint sub modo conceptæ; quan-

quandoquidem & conditioni alia conditio, & modo alius modus superaddi potest. Accedere quoque posse his donationibus fidejussorem, nec non pignus vel hypothecam, operosa demonstratione non indiget j. tamen *L. 24. ff. d. don. L. 5. pr. ff. d. pign.*

Finis specialis hujus donationis.

§. XXXI. Ad illud nunc accessum facimus, quod in hac tota tractatione facile præcipuum quis dixerit, & quod hanc nostram donationem à reliquis donationum speciebus maxime distinguit. Nimirum finem illius specialem ut expendamus ordo jam exigit, qui, ut ipsa appellatio indicat, is est, ut honorem conjux ab alio consequatur (non ut per ipsam donationem conjugi honor exhibeatur à donante; ex quo apparet, improprie Lauterbachium *in Comp. Jur. p. 452.* accipere vocem *honoris caussa donationis*, dum eandem tribuit illis donationibus, quæ die nativitatis Christi inter conjuges fuerunt factæ j. H. Pist. *L. 1. qv. 44. n. 12.*) Cum vero in textibus, qui continent privilegium hujus donationis, peculiaris fiat mentio quorundam honorum, primùm de illis pauca dicemus: deinde de honoribus aliis, ad quos pariter hoc privilegium pertinet, videbimus; postremo, priusquam ad effectum harum donationum transeamus, breviter illam quæstionem discutiemus, possintne præsidium aliquod ex dictis textibus sibi petere, qui contra Legem Iuliam Ambitus, vel etiam contra sacras constitutiones, emere dignitates, quam mereri, malunt.

Quidnam intelligatur in textibus adductis per Latum Clavum?

§. XXXII. Primò *L. 42. ff. d. don. int. V. & U. uxorem*, ait, *posse viro* LATICLAVI *petendi gratia donare*, quod idem ita Ulpianus effert: *posse mulierem in hoc donare viro suo, ut is ab Imp.* LATOCLAVO *honoretur.* Latum clavum impetrare idem hoc loco est, quod senatorem fieri, vel majoris dignitatis tribunum militum. Cum enim toga, chlamys, lacerna, & reliqua vestimentorum genera ap. Romanos quondam usitata, non essent usus promiscui, cives vero omnes Romani tunica uterentur, factum est, ut eâdem hac tunica ordines cœperint distingui. Senatoribus & Equitibus tunicam clavatam inducere permittebatur, qui de plebe erant, simplicem gestabant &

clavorum ornamento destitutam. Clavos autem hosce nonnulli existimant fuisse certa retinacula in vestibus, gemmarum vitrearum vel globulorum instar habentia, quibus latera tunicæ fuerint connexa, & quæ tanquam clavi partem vestis alteri parti conjunctam retinuerint. Alii contendunt, ornamenta quædam fuisse vestium purpurea (unde ἐσθὴς ἐμπόρφυρος) vel etiam aurea, clavorum speciem referentia, quorum quædam consuta vel intexta fuerint vestibus, vel etiam in tunicis acu depicta, quædam, & regulariter quidem, ab ipsis vestibus distincta, & supra tunicam in pectus usque demissa. Prout vero vel latius vel arctius ornamentum istud pectori inhærebat, sive, secundum alios, prout vel latiorem vel angustiorem purpuram habebat, diversa quoque appellatio eidem fuit tributa, Clavusque alius Latus dici cœpit, (græce κολόβιον, it. ἐσθὴς πλατύσημος) alius Angustus (græce ἐσθὴς στενύσημος) Latus clavus insigne erat ordinis senatorii, unde *Laticlavii honor* admodum frequenter apud scriptores antiquos pro dignitate senatoria accipitur, & senatores ipsos sæpius *Laticlavios*, imo *Latosclavos* appellari videmus. Angusto vero Clavo Equites Romani utebantur, qui propterea etiam dicti fuerunt *Angusti clavii*. Sed & hæc ipsa clavorum differentia discrimen fecit inter Tribunos militum, ut alii, quorum minor esset autoritas, *Angusti clavii*, alii, qui dignitate reliquos superarent, *Laticlavii* dicerentur. Plura videri possunt ap. Rosin. *Antiqv. Rom. L. V. cap. 33.* Brisson. *de verb. signif. L. 3. voc. Clavus.* it. *L. 10. voc. Laticlavius.* Panciroll. *rer. memorab. Lib. 1. Tit. de Fibula p. 316. it. 330. seqv.* Chassan. *Catal. glor. mund. P. 1. consf. 38. concl. 7. p. 16.* Godofr. *ad h. L. 42. ff. d. don. int. V. & U. j. L. 19. §. 5. L. 23. §. 1. ff. d. aur. arg. it. L. 4. C. d. Testam. milit.*

Quidnam per equum publicum?

§. XXXIII. Deinde Ulpianus in textu adducto *in hoc*, dicit, *mulierem posse viro suo donare, ut is ab Imp.* EQVO PUBLICO *honoretur.* Per *eqvum publicum* in *L. 2. ff. d. in Jus voc.* videtur intelligi eqvus cursui publico deputatus, sive ex numero illorum, quos Impp. sumtu publico certis in locis dispositos habuerunt, ut, si quid repentinum accidisset, crebra illorum mutatione, ipsi citissime possent nuncium mittere,

quo

quò vellent, de quibus *L. 1. L. 19. C. d. Curs. publ.* Menoch. *L. 2. A. Q. cas. 2. n. 3. seqv.* it. *cas. 229.* Hoc loco *equo publico honorari* idem est, quod in ordinem equestrem recipi, prout apparet ex verbis *L. 42. ff. d. don int. V. & U. ut equestris ordinis fiat.* Fuit autem hic ordo Senatorio ordini, inter quem & plebem medius erat constitutus, dignitate proximus. Ex illo quippe transitus fuit ad Senatorium. Unde Perseus in sua ad milites oratione: *Equites*, dicit, *principes esse juventutis, equites seminarium Senatus, inde legi in patrum numerum consules, inde Impp. creari.* Liv. *Hist. L. 42. c. 61.* Ob quam etiam affinitatem inter utrumque ordinem non semel tentatum fuisse legitur, ut uterque confunderetur & unus fieret. Ad ipsam vocabuli originem quod atttinet, illam traxisse videtur ex eo, quod hi præcipue, qui missi essent equestri militia (cujus apud Romanos summa semper fuit autoritas & præcipua gloria) in ordinem istum, eidemque cohærentem dignitatem fuerint assumti j. Panciroll. *Rer. mem. L. 1. Tit. de moribus in bello usurpatis p. 568.* Brisson. *de Formul. L. 4. p. 348.*

§. XXXIV. Tertio LUDORUM GRATIA susceptam donationem inter eas refert *L. 42. ff. d. Don. int. V. & U.* quæ tanquam honoris caussâ factæ subsistere debent inter maritum atque uxorem. Per *ludos* hic intelliguntur spectacula populo solenniter exhiberi solita. Non autem Græcis duntaxat, sed & aliis gentibus sui fuerunt ludi, quas tamen omnes ita superarunt Romani, ut hac una re cum reliquis omnibus contendisse illos dicat Panciroll. *c. l. tit. d. Veterum ludis p. 695.* In universum duo extiterunt genera ludorum apud Romanos, alii enim Circenses dicti, alii Scenici. *Circenses*, de quibus *L. 12. §. 4. ff. d. Us. & habit. L. 1. §. 2. ff. d. mun. L. 8. §. 3. C. d. Repud. L. 3. C. Th. d. Spectac.* exinde appellantur, quod in circuitu exhiberentur, & olim quidem ita, ut in altero latere flumen existeret, in altero vero gladii ponerentur, ut ab utraque parte esset ignaviæ præsens periculum, secundum Serv. *in Virg. L. 3. Georg.* & *L. 8. Æneid. Scenici* vero, de quibus *L. 122. ff. d. leg. 1.* it. *L. 2. L. 4. C. Th. d. prætor. & quæstor.* ex eô vocati sunt, quod ἐν σκηνῇ ϗ

Quidnam per donationem Ludorum gratia factam?

ἐν

ἐν τῇ σκιᾷ h. e. *in umbra* agerentur, atque hos ingeniorum acumine atque actionis agilitate seu arte constitisse dicit Rosin. *Antiqv. Rom. L. V. c. 2.* Ratione finis hi ludi Romanorum fuerunt vel funebres, vel votivi, vel ludicri, vel sacri. Sacrorum varia extiterunt genera e. g. Apollinares, Capitolini, Cereales, Compitalitii, Consuales, Florales, Martiales, Megalenses, Seculares &c. Rosin. *c. l. c. 12. seqv.* it. Jul. Cæs. Scalig. *l. 1. Poet. c. 28. 29.* Exceptis ludis funebribus reliquos exhibuerunt ab initio Reges, deinde Consules, Prætores, & Ædiles tam plebeji, quam curules, tandemque, cum ad unum summa potestas translata esset, ipsi Imperatores, aliive, quibus id à Principe concessum erat j. Rosin. *c. l. c. 3.* Non autem potuerunt ista spectacula populo tam grata sine maximorum sumtuum erogatione celebrari, & licet illi ex publico ærario fieri debuerint; j. *L. un. C. d. Expens. lud. publ.* it. Godofr. *ad L. 2. C. Theod. d. Expens. lud.* it. *L. 6. C. Theod. de Scænic.* consvetudine tamen eo erat perventum; (& fortàssis etiam vires ærarii nimis exhausti interdum aliud fieri non permittebant) ut qui hac ratione populi voluntates devincire sibi cuperent, si non omnes impensas, magnam tamen illarum partem deberent sustinere. Moris etiam fuisse perhibetur, ut honorem ambientes ad Ludum gladiatorium aliudve spectaculum pecuniam promitterent, ac pollicitatione offerrent, quam postmodum Respubl. tanquam debitam exigere potuit. *Disp. de Juramento Ambitus habit. 1698. Altorf. sub Præsid.* Dn. Linckii *in proœm.* Id quoque speciatim erat receptum, ut Consules (imo & Prætores *§. 46. J. d. Rer. Div.*) ad ludos ejusmodi procedentes, ante *Nov. 105. c. 2.* aurum atque argentum, postea vero argentum tantum, in populum spargerent. Omnes hi sumtus, cùm toti civitati, per *L. 122. ff. d. Leg. 1.* tùm illi præcipue peculiarem honorem afferre credebantur, qui eosdem liberaliter faceret. Vix igitur alia potest capi conjectura, quam quod in *d. L. 42.* JCtus loquatur de donatione, quæ horum sumtuum gratia, & ad eos commodius ferendos, ab uxore collata esset in maritum.

Quid sit do- §. XXXV. Ultimo loco videamus quidnam sit in *L. 41. ff. d.*

ff. d. Don. int. V. & U. donare AD PROCESSUS *viri.* Quidam existimant, intelligi per processus h. l. promotiones ab inferioribus dignitatibus ad superiores, & quidem non per saltum (ut Canonistæ loquuntur *tot. tit. d. cleric. per salt. promot.*) sed gradatim factas *L. 45. ff. d. neg. gest. L. 11. ff. d. mun.* quemadmodum de militibus, qui de gradu in gradum promoti fuerunt, dictum quondam fuit, quod *processerint.* Serv. *ad Virg. Æneid. L. 1.* j. Wissenb. *ad π. Vol. 1. Disp. 47. th. 7.* qui simul per testimonium Hieronymi eandem hujus vocabuli significationem probat. Alii ita interpretantur (& hi quidem, prout videtur, omnium optime) quod per processus hic denotentur solennes illæ consulum & aliorum magistratuum ad spectacula publica processiones, quas in *Nov. 105. c. 1.* Justinianus determinat, ibique *προόδους* appellat, quod idem alii per *προσελεύσεις* reddunt, alii per *transitus* vocabulum in *L. 7. ff. d. manum. vindict.* indicari volunt j. Godofr. ad *d. L. 41.* et. ad *N. 105.* it. Alciat. *de Verb. Sign. L. 4. §. Sane illud.* Cum autem isti processus secundum ea, quæ diximus *§. prac.* non sine sumtu contigerint, credendum est, quod ad hos sumtus aliquid suppeditare permittatur uxori, dum ipsi *ad processus viri* donare conceditur; ex quo simul apparet, inter hanc & *ludorum gratia* factam donationem nullam fere intercedere differentiam. nare ad processus mariti?

§. XXXVI. Hodie sublatus quidem *Laticlavii* honor, nec *ordinis equestris* eadem, quæ apud Romanos, facies, *Ludi* quoque veteribus usitati, & magistratuum ad eos *processus*, nostris temporibus per desuetudinem evanuerunt. Sed tamen aliquam horum omnium similitudinem, sive simulacrum aliquod, fortassis deprehendere licet. Et ea quidem, quæ de *lato clavo* dicta sunt, commode videntur ad senatoriam dignitatem trahi posse, cujus quis hodie in civitate, non solum Imperii, verum & municipali, particeps redditur j. Dn. Stryck. *in Us. Mod. π. tit. d. Senat. §. 1.* it. *d. Consul. §. 2.* Quæ de *equo publico* in textu allegato occurrunt, applicari queunt ad dignitatem equestrem, & jura nobilitatis, quæ hodie solent ab Imp. & aliis Principibus conferri. Ex iis vero, quæ de *ludis* & *processibus* in *dd. LL.* commemorantur, duci posset argumentum ad eas impen-

Quinam honores hodie conveniant cum iis, quorum fit mentio in L. 42.

penſas, quibus quis ita honorem ſibi atque exiſtimationem conciliare ſtudet, ut publicæ ſimul rei ſplendorem augeat: veluti ſi quis opus publicum ſuis ſumtibus exſtrueret, utque ſtatua ſibi, vel aliud quoddam monumentum propterea erigeretur, impetraret. Quamvis hoc loco, ubi ſimul de præjudicio alterius agitur, nimirum conjugis, ex cujus liberalitate ſumtus iſti debent ſubminiſtrari, forte non incongrue quis dixerit, ad illas ſaltem hujus generis impenſas illationem procedere, quæ non ex voluntate omnino libera fiunt, ſed honori, in quo quis conſtitutus eſt, quaſi cohærent, ita, ut neceſſitas quædam (ſaltem hypothetica) adſit, easdem faciendi; quemadmodum e. g. conſules non potuerunt, ſalvo ſuæ dignitatis ſplendore, intermittere proceſſus illos ſolennes & jactationem miſſilium ſemel ab anteceſſoribus introductam.

§. XXXVII. Non tamen in Legibus §. *6.* memoratis privilegium, quod honoris cauſſa donationibus eſt conceſſum, ad tres illos quatuorve caſus, quos modo recenſuimus, eſt reſtrictum; ſed potius extenſionem ad alios caſus fieri poſſe ſatis indicatur, cùm per generalem conceptionem *Legis 40. & 21.* tùm per Ulpiani verba: *ſimili honore*, tum etiam per verba *Legis 42. ut ecce*, quæ ſaltem exempli loco aliquid afferri oſtendunt j. *L. 74. §. 1 ff. d. V. O. L. 2. §. 1. ff. loc.* Num vero ad dignitates, ſalaria certa tribuentes, æque pertineat hoc privilegium, atque ad illas, ex quibus quis talia emolumenta non percipit, merito dubitatur. Etenim exempla illa omnia, quæ in textibus noſtris habentur, hujusmodi ſaltem honores exhibent, quibus certi reditus annui regulariter non fuerunt annexi. Ulpianus etiam, dum his exemplis ſubjicit verba *ſimilive honore*, eos omnes honores ab hoc privilegio excluſiſſe videtur, quorum diſſimilis eſt ratio. Impp. autem, Diocletianus & Maximinianus, adhuc evidentius idem declarare videntur, dum in *L. 21. C. d. don. int. V. & U. propterea*, dicunt, *id, quod pro marito donationis cauſſa erogatum eſſet, uxorem repetere non poſſe, quod per dignitatem, ad quam conſequendam donatio profuerit, locupletior ille factus non ſit.* Cui accedit, quod hic verſemur in explicatione privilegii, contra juris rationem recepti, ubi productionem ad conſequen-

Num valida ſit donatio facta inter conjuges ad honorem, qui ſalaria certa tribuit?

sequentias, & extensionem nimis generalem fieri vetat *L. 14. ff. d. LL.* j. Brunn. *ad d. L. 21. n. 1. 2.*

§. XXXVIII. Hi, quibus contraria magis probatur sententia, id potissimum urgere possent, 1) quod *L. 40 ff. d. don. int. V. & U.* nullũ plane faciat inter honores discrimen, sed generaliter potius loquatur, dũ adipiscendæ dignitatis gratia ab uxore in maritum aliquid conferri permittit; 2) quod conjux ita donans, ut cum dignitate simul certi proventꝰ alteri acquirantur, & magis alteri prosit, & sibi ipsi minus noceat, certe non magis, quam si id saltem efficiat sua liberalitate, ut præter inanes umbras & cassas imagines dignitatum, secundum verba *L. 74. C. Th. d. decur.* nihil propemodum in conjugem transeat, 3) quod, si textus sæpe allegati restringerentur saltem ad eos honores, qui locupletiorem non reddunt impetrantem, futurum sit, ut, si non plane supervacuum, certe admodum angustis limitibus circumscriptum dici debeat privilegium ab Imp. Antonino concessum, cum & citra illud certa ratione valeat ejusmodi inter conjuges donatio, quæ, licêt deminuat aliquid de facultatibus donantis, accipientem tamen non reddit locupletiorem *L. 5. §. 16. ff. d. don. int. V. & U.* Argumentis vero eorum, qui dissentiunt, hæc fortassis opponi possent. 1) Non eam esse vim exemplorum, ut verba Legum generalia restringere queant. 2) Ex eo, quod Ulpianus dixit: *similive honore*, non continuo sequi, honores alios eo pertinentes similes esse debere antea memoratis in eo, ut instar illorum certis destituantur salariis, sed sufficere, dummodo in aliis habeant convenientiam Strauch. *d. part. Jur. p. 259.* Quin & ita explicari posse dicta verba, ut idem denotare credantur, ac si dictum esset *aliove honore.* 3) Diocletianum & Maximin. Impp. dum in *cit. Leg. 21.* negant, revocari posse donationem ab uxore factam, duas afferre rationes, alteram, quod donatio marito profuerit ad dignitatem, alteram, quod idem non sit exinde factus locupletior; has autem duas rationes non propterea simul adduci, quod alterutra illarum non suffecerit, ad impediendam donationis revocationem, sed quod in casu, in quo tum temporis dicti Impp. rescripserunt, tam hæc, quam illa ratio affuerit, ut sic majoris efficaciæ gratia, & quasi ex abundanti, sit addita ratio

Argumenta affirmantium

Respondetur dissentientibus.

tio posterior, quo scilicet appareat, etiamsi donatio non profuisset marito ad dignitatem, ideo tamen, quod ejusdem patrimonio nihil exinde accesserit, res donatas revocari non potuisse 4.) Quod non sit opus interpretatione, quæ extensiva dicitur, ubi generalia adsunt Legum verba, prout in casu præsenti, it. quod allegata *L. 14. ff. de LL.* non tam pertineat ad ea, quæ introducta fuerunt contra rationem juris specialis (prout factum in casu præsenti) quam ad ea, quæ LLator introduxit contra rationem juris generalis. *j.* Godofr. *ad d. L. 14.*

Generalis extensio privilegii, quod continent Leges §. 6. recensitæ.

§. XXXIX. Nobis ultima sententia videtur esse benignior, magisque conformis menti Legislatorum, qui *jus prohibitæ donationis inter uxorem atque maritum, non amarè, nec tanquam inter infestos, sed ut inter conjunctos, maximo affectu tractari voluerunt* per *L. 28. §. 2. ff. d. don. int. V. & V.* j. *L. 31. §. 7. ff. eod.* Ob easdem causas, & quia nec in Legibus vera distinctio apparet, nec Legum ratio aliquam differentiam suppeditat, illud pro certo statui posse existimamus, quod nec honores ecclesiastici, nec militares, nec administrationem aliquam conjunctam habentes, nec academici, nec denique ulli alii, sive sublimes illi sint, sive exigui, ab hoc privilegio debeant excludi, dummodo sint ita comparati, ut nihil prohibeat, quò minus suscipi queant ab his, quibus illorum intuitu aliquid donatur. Actus enim ad consequendum eum finem, quem Leges obtineri nolunt, susceptus, quomodo Legum autoritate poterit firmari?

Leges, quæ hanc donationem confirmant, videntur approbare emtionem & venditionem honorum.

§. XL. Minime vero hæ ipsæ Leges, quæ honoris causa, sive dignitatis adipiscendæ gratia, conjugibus donare permittunt, illis adversantur Legibus, quæ nundinationes honorum eorumque per largitiones affectationem prohibent, ac severis animadversionibus coercent; ex quarum numero inter antiquas præcipuæ habentur L. Petilia, Cornelia & Bæbia, Calpurnia item & Tullia v. Paul Manut *de Leg. Rom. p. 94.* inter recentiores vero L. Iulia §. *11. J. d. publ. jud.* Lex Arcadii & Honorii, quæ habetur in *tit. C. ad L. Jul. amb.* Lex Theodosii & Valentiniani, quæ est ultima in *Tit. Cod. ad L. Jul. Repet.* tandemque Lex Justiniani, quam sistit *Nov. 8. præf. & c. 6.* quibus, quod

ad

ad prohibitam emtionem & venditionem dignitatum ecclesiasticarum attinet, jungi possunt *L. 1. §. 1. ff. ad. L. Jul. amb. L. 31. C. d. Episc. & Cler. Nov. 6. c. 1. §. 5. 9. Nov. 123. c. 2. §. 1. & c. 16. Tot. tit. X. & Extrav. Comm. d. Simon.* Equidem vix dum jacta erant in Romana Rep. fundamenta status monarchici, cum, teste Varrone, tanta honorum cupiditas plerorumque animos ita invadebat, ut vel cœlum ruere exoptarent, dummodo dignitatem aliquam adipiscerentur. Temporibus autem sequentium Imperatorum ita venales facti fuerunt honores, ut sæpe vilissimus quisque pecuniâ datâ in altissimo gradu fuerit collocatus, pretioque illud obtinuerit, quod præmium esse debebat solius virtutis atq; insignium meritorum. Neque si tales quandoque Principes rerum potiri contingebat, qui ipsi crimen istud aversabantur, eo magis cessavit illicita honorum venditio. Ministrorum enim, sive aulicorum, eò plerumque processit avaritia, ut non dignioribus, sed ditioribus, honorum portæ patuerint. Cum igitur in tempora ejusmodi fœdis commerciis adeo corrupta inciderit etiam ætas Antonini Imperatoris, qui privilegium, de quo hactenus egimus, honoris causâ donationibus concessit, facile quis induci posset, ut verba dicti privilegii ita interpretaretur, quasi permissum illis fuisset, indistincte honores pecuniâ comparare. Dum enim principales constitutiones facultatem largiuntur uxori, donandi suo marito ad dignitatem consequendam, & tantum quidem, quantum ad hunc finem obtinendum sufficiat, non solum illud indicari videtur, quod tum temporis pro honoribus data fuerit pecunia, sed hoc etiam, quod ista datio publicam habuerit Legum approbationem.

§. XLI. Quemadmodum autem ex solâ temporum corruptione, vel ex solis depravati seculi moribus, non potest valida capi conjectura, quod Princeps, qui ipse Pius dici meruit, & qui in Legibus condendis optimos semper JCtos adhibuisse legitur, v. Capitolin. *in Antonin. Pio §. 3.* ejusmodi constitutionem ediderit, in qua id aperte approbasset, quod ante ipsum ne pessimi quidem Imperatores ausi sunt, per Legem publicam licitum pronunciare; ita nec verba textuum, quos sæpe Sed negatur hoc.

adduximus,& qui de dicta constitutione Antonini Pii loquuntur, conjecturam adeo sinistram multum adjuvant,sed, si penitius inspiciantur, illud potius apparebit, quod Legibus, quæ crimen ambitus & simoniæ, ac promiscuam illam honorum emtionem & venditionem prohibent, sua constare possit autoritas, licet secundum textus istos concedatur conjugibus, honoris causa sibi invicem donare.

Quomodo fieri posſint donationes honoris causa citra crimen ambitus?

§. XLII. Primò enim restringi potest id, quod in dictis textibus continetur, ad suppeditationem eorum sumtuum, sine quibus aliquis sibi comparare nequit earum rerum notitiam, quas scire necessario debet, si velit ad honores adspirare: tum enim ad honorem ipsum consequendum donasse creditur, cujus liberalitas effecit, ut honore dignus aliquis fieri potuerit. Secundò contingit nonnunquam, ut per speciales Leges vel consuetudines ad quosdam honores non alii admittantur, quàm qui certis instructi sunt facultatibus; quemadmodum e. g. Venetiis in ordinem Nobilium regulariter non recipitur, qui docere nequit, sibi post impetratam dignitatem bona superesse centies mille ducatis æstimanda. j. Rosin. *Antiqv. Rom. L. 7. c. 5.* Hoc igitur in casu etiam is honoris causa, & licite quidem, donat, qui sua munificentiâ removet obstaculum,quod oppositum erat his,qui honorē promeritum sibi parare volebant. Tertiò, licet honores ipsi ab his, qui eos conferendi potestatem habent, gratis concedantur illis, qui maxime eosdem merentur; Superiore tamen jubente, vel permittente, evenit interdum, ut honorandi aliquid erogare teneantur, quod vel prosit Reipublicæ (quemadmodum e. g. Consules noviter creati ad restaurationem aquæductuum urbis Constantinopoleos centena pondo auri præstare jussi fuerunt *L. 2. L. 3. L. 4. C. d. Consul.* j. *L. 16. §. 1. ff. d. mun. L. 6. pr. &* *§. 1, 2. ff. d. pollic.*) vel quod partem quasi salarii constituat his, quorum intervenire debet opera, antequam candidatus honoris pro digno agnosci, vel in plena honoris possesſione (ut ita loquar) constitui posſit; v. e. si quid solvendum sit pro examine, cui se submittere necessum habet petitor dignitatis, pro cathedratico *Nov. 123. c. 3.* pro confectione diplomatis sive lite-

literarum honoris concesſionem continentium &c. vel denique quod impendatur ad ritus illos ſolennes, quibus honoris concesſi inſignia publice tribuuntur. Atque his omnibus in caſibus haud ſecus, atque in ſupra memoratis, is, qui ſumtus neceſſarios largitur, vere donat honoris cauſa, nec tamen vel ambitus accuſari poterit, vel ſimoniæ.

§. XLIII.. Dantur adhuc alii modi, quibus citra violationem earum Legum, quæ dicta crimina puniunt, fieri posſunt honoris cauſa impenſæ neceſſariæ, adeoque etiam donationes ad has impenſas ferendas. Sed & Jure Civili (ſalvo cæteroquin Legis Juliæ contra ambitum rigore) permiſſum erat, quosdam honores & certa officia militiæ emere, prout apparet ex *L.52. §. 2. ff. d. act. emt. L. 22. ff. d. leg. 2. L. fin. C. d. pign. & hypoth. Nov. 53. c. 5.* j. Wiſſenb. *ad π. V. 1. Diſp. 40. th. 12.* Quod ſi igitur honor ita fuerit comparatus, ut ſecundum has Leges licite potuerit pro pecunia obtineri, dubium non eſt, quin ad eum conſequendum â conjuge facta donatio ſubſiſtere debuerit, vi earundem Legum, quas ſiſtit §. *6.*

Honores quidam Jure Civili poterant pecunia comparari.

§. XLIV. Noſtro ſeculo, quod nundinatorium propterea nonnullis audit, eò perventum eſt multis in regionibus, ut honores tantùm non omnes, etiam qui conjunctam habent juſtitiæ adminiſtrationem, præſenti pecunia comparare per Leges vel conſuetudines concedatur. Sic in Gallia, teſte Mornacio, nullum eſſe munus publicum, qualecunque illud ſit, præter regni annulum, ſeu nomophylaciam & Cancellariatum, quod ſtupendo pretio non veneat, aſſerit Wiſſenb. *ad π. V. 2. diſp. 36. §. 19.* Etiam Venetos ad conquirendas pecunias varia officia & munera venalia proſcripſiſſe, atque hunc modum Reip. intuliſſe magnam pecuniæ quantitatem teſtatur Bodin. *de Republ. L. 6. c. 2.* Præterea in Curiâ Romanâ plurima beneficia certô modô venalia extare, ex Taxâ officiorum typis deſcriptâ ſatis apparet. An per juſtitiæ regulas hoc liceat, & an Princeps, vel qui loco Principis eſt, hâc ratione munera publica diſtribuendo, ſuæ pariter atque Reipublicæ dignitati atque utilitati conſulat, illud nunc pluribus exequi noſtrum inſtitutum non patitur. Id ſaltem hic defendemus, quod, qui-

Hodie multis in locis fere generaliter hoc receptum.

Quidnam ibi ſtatuendum de donationibus factis ad emendum honorem?

bus

bus in locis per Leges Civiles licitum est, emere honores ac vendere, in iisdem non possint impugnari donationes, quibus id agitur inter conjuges, ut ex ipsis rebus donatis, earumque intuitu, conjugi honor acquiratur.

Num valeat etiam donatio facta ad honorem conservandum?

§. XLV. Licet vero Leges, ad quas toties provocavimus, de illarum saltem donationum validitate loqui videantur, quæ factæ sunt ad dignitatem, quam nondum conjux habebat, adipiscendam; Quin tamen etiam illæ subsistere debeant, quæ factæ sunt ad honorem, qui jam impetratus est, conservandum, fere dubitari non potest. Equidem si non major, certe non minor, ratio svadet, ut his, quàm ut illis donationibus faveatur. Ea etiam ipsa, quæ in *L. 41. & 42. ff. d. don. int. V. & U.* de donatione *ad processus*, item *ludorum gratiâ*, dicuntur, huic interpretationi præbent adminiculum v. §. 33. 34. 35. Cum tamen multis, qui sua vel aliorum bona non necessariis sumtibus dissipant, admodum solenne sit, hôc nomine culpam suam prætexere, ut suum honorem se dicant per ejusmodi profusionem conservasse: ne fraus fiat aliis Legibus, tùm demum existimamus, privilegium nostrarum Legum pertinere ad donationes *honoris conservandi gratiâ* factas, si liberalitas conjugis ad ejusmodi sumtus profuerit, quibus non factis vel amissa dignitas fuisset, vel gravi quàdam ignominiâ splendor ejusdem obscuratus.

Quid statuendum de donatione, ubi honor in modum nudæ conditionis fuit adjectus?

§. XLVI. Denique illud adhuc, antequam ulterius progrediamur, paucis est monendum, quod non valeat donatio inter conjuges, tanquam honoris causâ facta, si *honor* in modum nudæ conditionis fuerit adjectus, veluti si marito, qui fortè sua sponte, & sine ullâ sumtuum erogatione, honorem erat impetraturus, uxor aliquid donet, ut tunc demum pleno jure ipsius fiat, si honor iste speratus eidem obtigerit j. *L. 1. ff. d. don.* it. Paul. Durand. *d. condit. & mod. impossib. P. 5. c. 1. n. 1. seqv.* Non enim tunc dici potest, quod profuerit ista donatio marito ad dignitatem, nec quod locupletior idem exinde factus non sit &c. Idem igitur de his donationibus censendum est, quod de reliquis, quæ inter conjuges sunt factæ, & nullo speciali privilegio munitæ.

§. XLVII.

§. XLVII. Proximum est, ut videamus, quosnam effectus producant hæ donationes, quæ argumentum præsentis dissertationis constituunt. Brevioribus tamen nobis esse licebit, cum omnia fere, quæ hic dici possunt, reliquis etiam donationibus, inter vivos valide factis, conveniant. Nimirum id præcipuè attendendum, an factæ sint hæ donationes per ipsam rei donatæ traditionem, an vero saltem per conventionem. In donationibus realibus vel translata fuit res donantis propria, vel aliena. Si propria fuit, donans statim dominium amittit, & accipientem dominum constituit *L. 6. L. 13. ff. d. donat.* Si aliena, transfertur in alterum b. f. accipientem facultas eam rem usucapiendi *L. 18. §. 2. ff. eod.* & si eandem nondum usucaptam verus dominus vindicaverit, evictionis præstationem eo nomine exigendi; de quo in *§. sequ.* Utrôque autem in casu nihil interest, utrum vera traditio subsecuta sit, an verò ficta. e. g. si donans locô ipsius rei donatæ instrumentum saltem ejus tradiderit. *L. 1. C. dict. tit.* vel usumfructum illius sibi retinuerit *L. 28. C. eod.* In donationibus conventionalibus non res donata obstringitur, sed persona saltem donantis, quæ propterea conveniri potest ab altero, vel condictione ex *L. 35. §. 5. C. eod.* si simplex pactum sit celebratum; vel si solennis contractus, aliudve pactum legibus approbatum, intercesserit, actione peculiari exinde descendente, veluti actione ex stipulatu, condictione certi ex stipulatu, actione præscriptis verbis, actione de constitutâ pecuniâ &c. v. *N. 162. c. 1. §. 1. L. 33. ff. d. don.* Nonnunquam donationes istæ non actionem tribuunt illi, cui sunt factæ, sed exceptionem saltem; veluti si donandi animô debitum aliquis remiserit alteri, & illud nihilominus postea ab eôdem exigat. Persona, quæ ob factam ejusmodi donationem convenitur, rem ipsam donatam, si potest, tradere debet, nec ejus, quod interest, præstatione liberatur *§. 2. J. eod.* Usuras tamen ob moram actor jure civili petere non potest. *L. 22. ff. eod.* quod hodie secus esse, præcipue ob Recess. deput. *d. A. 1600. §. so viel nun* contendit Dn. Stryck. *in Annot. ad Lauterb. p. 803. 906. 955. & alibi* j. tamen Carpz. *P. 2. C. El. 30. d. 18.* Quod ad fructus attinet, ex re donata perceptos, eos post moram recte petit

Quænam jura post ejusmodi donationem transeant in donatarium?

actor, qvatenus donans illos nondum consumsit *L. 41. §. 1. ff. d. re jud.* Semper vero condemnari oportet eum eamve, cui intentatur actio ex propriâ liberalitate, & quidem ab eo, in quem illa directe fuit profecta. *L. 33. §. f. ff. d. don.* in id saltem, quod facere potest, salvis alimentis. *d. L. 41. §. f. ff. d. re jud.* deductô prius omni ære alienô. *L. 19. §. 1. ff. eod. L. 12. ff. d. donat.* v. Ludw. *ad §. 38. J. d. act.* Richt. *P. 1. dec. 23. n. 12.*

Num evictio debeat præstari in his donationib9?

§. XLVIII. Quæ in §. *præc.* diximus de obligatione conjugis honoris causa rem alienam donantis ad evictionem eo nomine præstandam, ea tum præcipue obtinent, si expresse ea propter stipulatio sit facta, vel hodie quodvis pactum intercesserit. Atque hujus rei ob *L. 2. C. d. evict.* nulla potest esse controversia. Num vero idem statuendum sit iis in casibus, ubi deficit ejusmodi promissio, id non æque positum est in promtu. In *L. 18. §. f. ff. d. don.* it. *L. 62. ff. d. ædil. act.* expresse constitutum est, quod is, qui passus est evictionem rei donatæ, nullam eo nomine habeat actionem adversus donatorem, etiamsi magnos sumtus fecerit in rem evictam, nisi de donantis dolo constet, quo casu actio de dolo adversus eum conceditur. Verum de his Legibus notandum est 1.) quod plerique ex JCtis tam antiquis, quam recentioribus, illas restringere soleant ad eas donationes, quæ ab ipsa traditione inceperunt, ita, ut evictionis præstatio in his quidem, non autem in illis quoque cessare debeat, in quibus promissio de donando præcesserit rei donatæ traditionem. *arg. L. 1. C. d. jur. dot.* præcipue si res donata & evicta non in specie, sed in genere, fuerit promissa v. Jo. Ant. Trigona *Sing. 21.* Gomez. *Var. Resol. Tom. 2. C. 2. n. 35.* Brunnem. *ad L. 2. C. d. evict. n. 10. seqv.* Carpz. *P. 2. C. El. 34. d. 23.* 2.) quod unanimi omnium fere Doctorum consensu excipiantur illæ donationes, quæ non simpliciter fuerunt factæ, sed, quemadmodum hæc nostra, sub modo sive ob causam futuram v. Dn. Svendend. *ad Eckb. L. 21. t. 2. §. 3.* Dn. Menck. *in Tract. Synopt. π. p. 300.* Franzk. *ad π. tit. d. evict. n. 499.* Struv. *Synt. J. Civ. Ex. 27. th. 17.* Jo. Wamesſ. *Cent. 3. Consf. 78. n. 4.* Licet autem priorem sententiam multi tanquam legibus non satis fundatam improbent. v. Franzk. *c. l. n. 424. seqv.* Bachov. ad

Teutl.

Treutl. *V. 2. Disp. 2. th. 5. lit. d.* Meier *Coll. J. A. T. 1. p. 1209.* Alii tamen eandem omnino admittendam esse contendunt, si non secundum principia Juris Civ. saltem secundum Jus hodiernum, quod quamlibet promissionem non inhonestam plenissima validitate donavit. v. Dn. Stryk. *in Annot. ad Lauterb. p. 639.* it. Richt. *P. 1. decis. 23. n. 4. seqv.* Hoc igitur si admittatur, dicendum foret, quod regulariter in omni donatione conventionali, honoris causa inter conjuges facta, præstanda sit evictio. Sed & in reali idem statuendum, si eam, quam secundo loco commemoravimus, amplectamur sententiam, quæ tum præcipue ex æquitate sua se commendat, si conjugi, cui facta fuit rei alienæ donatio, ejus intuitu revera aliquid absit; veluti si maritus ab uxore donationis titulo accepisset ædes, 200. thaleris æstimatas, ad consequendum honorem, quem alioquin petiturus non fuisset, deinde vero, postquam ex suo patrimonio 200. propter illum honorem erogasset, dictæ ædes ipsi evincerentur. j. Franzk. *c. l. n. 500.* Gothofr. *ad text. 2. F. 8. pr. lit. i.*

§. XLIX. Si ex nullâ, vel aliâ, quàm honoris, causâ, conjux rem alienam conjugi donaverit, valida quidem pronunciatur ista donatio in *L. 25. ff. d. don. int. V. & U.* sed ex verbis ejusdem Legis satis apparet, quod ista validitas neutiquam debeat extendi ad jus præstationem evictionis exigendi. Nam propterea saltem Legislatores talem donationem noluerunt accensere reliquis donationibus inter conjuges invalidis, *quod per eandem donans in rebus suis non reddatur pauperior.* Potest igitur conjux rem alienam, quam accepit, usucapere: eatenus enim conjugi donanti ex facultatibus suis nihil vere decedit. Sed si ejusmodi res ante perfectam usucapionem ipsi fuerit ablata, non potest ad præstandam evictionem adversus conjugem experiri; quandoquidem præstitâ evictione conjux omnino fieret in rebus suis pauperior. Atque hoc eatenus procedit, ut ne eo quidem in casu recte petatur evictionis præstatio, ubi tempore donationis eadem expresse fuit promissa, cum hæc ipsa promissio incidat in talem donationem, quam inter conjuges non validam esse voluerunt Legislatores. Ex quibus

Num in aliis donationibus conjugum ea sit præstanda?

omni-

omnibus simul redditur manifestum, quod tum demum rerum alienarum donatio, honoris causâ inter conjuges facta, indigeat privilegio, quod continent Leges §. *6.* recensitæ, si de præstatione evictionis postmodum quæratur. Nam si contingat ejusmodi res per usucapionem qvietè acqviri, dicto privilegio, ob memoratam *L. 25.* opus non est.

Ad quidnam obstringatur donatarius?

§. L. Uti vero conjux, honoris causâ donationem faciens, dictâ ratione ad fidem datam implendam obstringitur alteri conjugi, cui facta est donatio; ita vicissim huic incumbit, ut id, quod ad honorem consequendum accepit, in hoc ipsum impendat. Hoc autem observare negligens, conveniri potest, ad satisfaciendum huic obligationi, vel actione præscriptis verbis *L. 28. ff. d. don. L. 9. L. 22. C. eod. L. 10. C. de pact. L. 6. C. d. rer. permut.* vel si specialis conventio eo nomine interposita fuerit, actione ex isto pacto descendente *d. L. 9. C. d. don.* Quod si dolo aliquid fuerit factum contra modum donationi adjectum, potius utendum erit adversus conjugem verbis temperatâ in factum, quàm famosâ de dolô actione *L. 1. C. d. jur. dot. L. 11. §. 1. ff. d. dol. mal.* Condictio etiam causâ datâ causâ non secutâ potest institui adversus conjugem conditionibus donationi additis non satisfacientem, ad hoc, ut rem donatam restituat. *L. 2. L. 6. L. 8. C. d. condict. ob caus.* Mæstert. *de just. Rom. Leg. L. 2. dub. 42.* Rei autem vindicatio hôc in casu neutiquam obtinebit, postquàm semel mediante traditione dominium in accipientem transiit. Nec obstat *L. 1. C. d. don. quæ sub mod.* Specialis enim favor alimentorum peperit illius decisionem, quæ propterea ad alios casus minime debet extendi. Mantic. *de tacit. & amb. conv. L. 13. c. 44. n. 5.* Bachov. ad Treutl. *V. 2. disp. 19. th. 8. lit. b. in fin.* Dill. Sim. van Leeuwen *Cens. For. L. 4. c. 12. n. 17.*

Num in hæredes utrinque transeant jura ista atque obligationes?

§. LI. Jura ista atque obligationes in hæredes quoque certâ ratione transeunt tàm donantis, quàm ejus, cui donatur *L. 35. §. 5. in fin. C. d. don.* Sic. e. g. si maritus honorem, cujus gratiâ uxor donationem fecit, impetraverit, tam ipse ab uxoris hæredibus, quàm hæredes ejus ab uxore ipsâ & illius hæredibus, recte poterunt exigere res donatas. Vicissim

cissim hæredibus uxoris non deneganda est actio præscriptis verbis &c. adversus maritum, qui honoris causâ donationem accepit, nec tamen conditionem, quam spoponderat, implevit. Quin & iisdem uxoris hæredibus ob non servatam conventionem dabitur tam adversus maritum, quam contra hæredes illius, condictio ob causam datorum. *L. 2. L. 3. L. 8. C. d. condict. ob cauſ.* j. Brunnem. *ad L. f. C. d. revoc. don. n. 7. 8.* Contra nec hæredes mariti, qui nondum impetrato honore decessit, agere poterunt adversus uxorem, ejusve hæredes, ad id præstandum, quod eadem promiserat marito dignitatis adipiscendæ gratiâ. a. *L. 156. §. 1. ff. d. R. J.* nec eodem in casu uxor ejusve hæres contra mariti hæredem agendi facultatem habet, ut ipse honorem impetret, cujus intuitu maritus aliquid acceperat, cum personalissimum (ut ita loquar) pactum hic adsit, adeoque hæres ad id servandum minime obstringatur. *L. 25. §. 1. ff. d. pact.*

§. LII. Quæ de revocatione hujus donationis ob non adimpletum illius modum in §§. *praec.* commemoravimus, ea nec hic, nec in aliis casibus, ullam dubitationem habent, si illud, ad quod obtinendum, donationem fieri placuerat, culpâ accipientis non fuerit subsecutum. *L. 3. §. 3. L. 5. §. fin. ff. d. cond. cauſ. dat. L. pen. C. eod.* Sed si causa, ob quam quid datum est, citra culpam accipientis & mero casu fortuito secuta non sit, an tum condici possit quod datum est, id valde controversum in Jure nostro, & plenum dissensionis inter Doctores. Obstant sibi invicem ex unâ parte *L. fin. ff. d. cond. cauſ. dat. & L. 15. §. 6. ff. Locat. j. L. 1. L. 5. C. d. cond. ob cauſ.* ubi affirmatur, quod facultas repetendi competat; ex alterâ vero *L. 3. §. 3. in fin. ff. d. condict. cauſ. dat. L. pen. C. eod. & L. 5. §. 1. in fin. ff. P. V.* ubi idem negatur. Præbuit hoc ansam innumeris fere distinctionibus. v. Wissenb. *ad π. V. 1. Disp. 25. th. 3.* Lauterb. *Comp. J. p. 196.* & autor. *ibi citat.* Multi tamen ingenuè fatentur, propter diversitatem factorum & casuum vix certam regulam posse suppeditari, ideoque prudentis judicis arbitrio hoc omne committendum, & ex æquitate ejusmodi controversias decidendas esse. Bachov. ad Treutl. *V. 1. disp. 22. th. 2. lit. a.* Brunnem. *ad L. pen. C. d. cond. ob cauſ. n. 5.* In nostro casu, nimirum si honoris adi-

An revocari possit hæc donatio ob non adimpletum illius modum?

piſcendi gratiâ donatum aliquid fuerit inter conjuges, & inopinatus quidam eventus obſtiterit, quo minus honor iſte ſit impetratus, facilius aſſeri poteſt, quam in aliis caſibus (prout factum à Donello *comment. L. 14. cap. 21.*) quod ſemper locum habeat repetitio, non obſervatis variis illis Interpretum diſtinctionibus, e. g. utrum caſus fortuitus ſit ſimpliciter & abſolute talis, an verò in perſona tantùm accipientis; item utrum implementum conditionis caſui cauſam præbuerit, an aliud quid &c. Fundamentum autem hujus noſtræ aſſertionis præcipue collocamus in eo, quod omnis validitas donationis, de qua hic agimus, pendeat ex adjectione cauſæ ſive modi, quo deficiente ipſam quoque donationem invalidam fieri oportet, id quod ſecus eſt in reliquis dationibus, quæ regulariter ſubſiſtere queunt, etiam non addita ulla conditione. Deinde vero etiam verba *Legis 40. ff. d. don. int. V. & U. eatenus ratum eſt, quatenus dignitati ſupplendæ opus eſt*, nec non verba *L. 21. C. eod. cum hæc ad dignitatem profuerit*, noſtram ſententiam haud parum adjuvant. j. *L. 2, §. f. L. 3. ff. d. don.*

An revocari poſſit, ſi donante ſuperſtite modus non ſit impletus?

§. LIII. An vero tùm quoque locum inveniet iſta condictio, ſi ante mortem conjugis honoris cauſa donantis non impetratus fuerit honor, ſed eundem poſt mortem demum illius obtineat conjux, cui talis donatio facta? Videtur hic cum diſtinctione eſſe reſpondendum. Nam ſi conjux, e.g. uxor, id expreſſerit, ut maritus ſe vivente honorem conſequeretur, eo non facto, hæredes uxoris donatum condicere poterunt, licet maritus poſtea ſit paratus, eundem honorem impetrare *arg. L. 8. ff. d. don. int. V. & U.* niſi fortasſis ante obitum ſuum uxor a priori mente diſceſſerit. Si vero tale quid non ſit expreſſum, ſed ſimpliciter dignitatis adipiſcendæ gratia donatio fuerit facta, argumento quidem dictæ *L. 8.* ea videtur eſſe capienda conjectura, quod tum demum hunc actum liberalitatis vires habere voluerit uxor, ſi ſe ſuperſtite ad honorem perveniſſet maritus, ut ſic reſolvatur donatio, ſi morte uxoris ſolutum fuerit matrimonium, antequam honor impetraretur; Quod ſi tamen aliquis contrariam ſententiam amplecti velit, pro eo non ſolum faceret, quod verba *dictæ L. 8.* ſpecialiter ſint concepta, nimirum de donationibus manumisſioni;

cauſa

causa factis, ex textibus autem, qui de honoris causa donationibus loquuntur, neutiquam appareat, illis pariter inesse conditionem, *si manente matrimonio honor obtineatur* ; verum etiam quod benignior illa sit *L. 192. §. 1. ff. d. R. J.* magisque conveniens nostris temporibus, quibus donationes inter conjuges factæ facilius sustinentur, quam olim j. Dn. Tit. *ad Comp. Lauterb. obs. 779. in fin.* Id vero omni dubio caret, quod tum cessare debeat condictio, si hoc expresse uxor concesserit marito, ut etiam ipsa mortua possit honorem adipisci. Non enim quemadmodum per *L. 11. §. f. & L. 12. ff. d. don. int. V. & U.* divortii causa facta donatio non valet, nisi sub ipso divortii tempore suscepta, ita etiam dicendum, quod invalida debeat esse honoris causa donatio, si non sub ipso honoris impetrandi tempore, sed potius (secundum verba *d. L. 12.*) ex cogitatione quandocunque futuri honoris sit facta; quandoquidem inter hanc & illam donationis speciem plurimum interest, cum illa, si in casum divortii quandocunque extituri concipiatur, invitationem quandam ad delinquendum contineat, contra *L. 23. ff. d. R. J. it. L. 27. §. 4. ff. d. pact.* id quod secus est in hac nostra.

§. LIV. Diximus in §. 22. quod saltem eatenus donatio honoris causâ inter conjuges facta subsistat, quatenus id, quod sic donatum fuit, ad dignitatem consequendam fuit necessarium. Si igitur marito dictâ ratione trecenti fuissent donati, & ducentis saltem opus ipse habuisset ad obtinendum honorem, residuum, si adhuc extet, repeti poterit per rei vindicationem directam *L. 5. §. fin. ff. d. don. int. V. & U.* si consumtum sit, locum habebit condictio sine causa *d. L. 5. §. f.* j. *L. 1. pr. & §. f. ff. d. cond. sin. caus.* Quin & utilis rei vindicatio poterit institui adversus quemlibet possessorem rerum sive mobilium sive immobilium, quas maritus ex istô residuô sibi comparavit *arg. L. 55. in fin. ff. d. don. int. V. & V.* j. *L. 8. C. d. R. V.* quod tamen merito restringitur ad eum casum, si ex aliis mariti bonis satisfieri non possit uxori *a. d. L. 55.* Brunnem. *ad L. 9. C. d. don. int. V. & U. n. 7.* Si vero residuum istud uxor ipsa non revocaverit, etiam invitis ejusdem hæredibus retinere illud poterit maritus, non quidem tanquam honoris causa sibi donatum, verum ad

Quomodo revocatio fiat, si plus donatum, quam ad consequendum honorem fuit necessarium?

instar

instar alius donationis per mortem uxoris confirmatæ *L. 32. §. 1. seqv. ff. d. don. int. V. & U.* dummodo non probetur, aliam fuisse uxoris voluntatem, e. g. si honoris causa certam summam donando expresse declaraverit, se ita saltem eam integram ipsi donatam velle, si non minoribus sumtibus honorem sibi parare possit.

An revocatio locum inveniat, si honor impetratus fuerit amissus?

§. LV. Si dignitas, ad quam obtinendam conjux conjugi donavit, acquisita quidem, sed iterum amissa fuerit, repetitioni locus non datur, quia semel donatio substitit, & plenissimum effectum est sortita; etiamsi conjux culpa sua honoris ita impetrati jacturam fecerit. Si tamen forte hoc ipsum dolo fuerit actum, ut hac ratione liberalitas donantis fine suo excideret, non iniquum foret hujus desiderium, si damnum, quod alterius malitia sensit, sibi resarciri contenderet. Ob solam donantis pœnitentiam, sive traditio rei donatæ jam subsecuta fuerit, sive non, neutiquam obtinet jus revocandi *L. 2. L. 3. L. 4. C. d. revoc. don. L. 17. C. d. don.* j. *L. 23. C. d. don. int. V. & U.* cum regulariter omnis donatio inter vivos, quæ ab initio pro valida agnoscitur, post factam utrinque voluntatis declarationem, sit irrevocabilis, sive *ἀναπόδοτος*, prout cum Græcis illam appellat Cujac. *in Paratitl. ad Cod. L. 8. tit. 53.* j. Godofr. *ad d. L. 23. C. d. don. int. V. & U. lit. m.* Unde nec autoritate rescripti eandem rescindi oportet *L. 5. C. d. revoc. don.*

An ob ingratitudinem?

§. LVI. Si re adhuc integrâ, i. e. nondum impetrato honore v. Sim. van Leeuwen *Cens. For. L. 4. c. 12. n. 23.* is, cui hoc intuitu aliquid fuit donatum, ingratus existat adversus donantem, ita, ut injuriis atrocibus, sive verbis sive re ipsa illum offendat, vel vitæ ejus insidias struat, vel patrimonio ipsius insigne detrimentum inferat, vel denique conditionibus donationi additis non satisfaciat (quam ultimam causam tamen huc proprie non pertinere asserit Dn. Stryk. *in Annot. ad Lauterb. p. 862.* j. §. *49.*) tùm secundum *L. f. C. d. revoc. don. & §. 2. J. d. donat.* salva erit donanti (non vero etiam illius hæredibus) licentia, id quod datum est, retinendi j. Leg. Longob. *L. 2. tit. 17. c. 3.* ap. Lindebrog. *in Cod. Leg. Antiqv. p. 591.* Mater tamen, quæ secundum §. *18.* filio suo dictâ ratione aliquid donavit, si postea transierit ad secundas nuptias, per

Nov

Nov. 22. c. 35. non nisi tribus ex causis donationem, tanquam in ingratum collatam, revocare posset, nim. si filius vitæ ipsius insidiatus fuerit, vel manus impias ipsi intulerit, vel totius substantiæ jacturam sit molitus. j. *L. 7. C. d. revoc. don.* Dissentire quidem à nobis hôc locô videntur illi ex Doctoribus, qui sanctionem *d. L. fin. C. d. revoc. don.* negant obtinere in donationibus ob causam factis. Jo. Wamess. *cent. 5. consf. 32. n. 5.* v. Brunnem. *ad d. L. f. n. 10.* & autt. *ibi alleg.* Verum intelligendos eos esse non de donationibus ob causam futuram factis, qualis est hæc nostra, sed de his, quæ factæ sunt ob causam præteritam, admodum probabile redditur per ea, quæ ad thesin istam generalem illustrandam ab illis adjiciuntur. Certè nulla ratio suadet, ut adversus conjugem, cui donatio honoris causâ facta fuit, mitius procedatur, si injuriis acceptum beneficium compenset, quàm adversus quemlibet alium, qui post collatam in se donationem ingratum animum ostendit. Quin vinculum istud speciale, quod hôc in casu inter donantem & alteram personam intercedit, & illa ipsa causa, quæ talem donationem ab aliis distinguit (quia per adjectionem illius donans duplici ratione alterius commodum promovere intendit) hæc, inquam, efficiunt, ut quæ injuriæ in aliis donatariis criminis appellationem merentur, in his insigne quoddam & detestabile scelus dici possint; ut sic gravior potius, quàm levior animadversio locum sibi vindicare debeat in casu præsenti.

§. LVII. Ex argumento *Legis 8. C. d. revoc. don.* (quamvis eam de solis patronis intelligendam esse multi gravissimis rationibus contendant) plerique ex Doctoribus colligunt, justam esse causam revocandæ donationis, si donator tempore donationis liberis destitutus, post factam magnæ bonorum partis donationem, liberos susceperit. Secundum hanc sententiam, quam praxis plerorumque locorum sequitur, teste Grot. *L. 3. Introd. c. 2.* it. Carpz. *P. 2. C. El. 12. d. 32.* quæri potest, an idem, quod in reliquis donationibus receptum, in hâc quoque debeat obtinere, ut e. g. uxor, quæ non exiguam partem patrimonii sui ad consequendum honorem marito donavit, possit eandem revocare, si liberos deinde ediderit? E-

An ob liberos supervenientes?

quidem licet revocationis æquitatem ex hâc causâ in reliquis donationibus concederemus, in hâc tamen donationis specie inter conjuges vix eandem admittere poterimus. Primò enim ideo propter liberos postea natos æquam esse repetitionem rerum donatarum in reliquis casibus Doctores contendunt, quod verisimile videatur, non fuisse aliquem donaturum, si de liberis cogitasset, v. Gomez. *Var. Resol. T. 2. c. 4. n. 11.* Quomodo vero, si conjux donet aliquid conjugi, h. e. illi ipsi personæ, quam sobolis procreandæ gratiâ in arctissimam societatem assumsit, quomodo, inquam, hic verisimile dici potest, quod donans de liberis suscipiendis non cogitaverit? Dissent. Godofr. *ad d. L. 8. lit. b. in fin.* Deinde in eo etiam secernenda est ab aliis donationibus hæc nostra donatio, quæ honoris causâ fit inter uxorem atque maritum, quod per hanc non, quemadmodum regulariter in illis fieri solet, commodum solius donatarii promoveatur, sed donantis quoque & ipsorum liberorum, quorum nativitas subsequitur; quandoquidem & hi participes fiunt honorum, quibus ornantur parentes *L. 11. C. d. dign.* j. quæ diximus §. *12.* Tandem illud adhuc ad stabiliendam sententiam nostram adjicere possumus, quod ex his ipsis Doctoribus, qui dictam *L. 8. C. d. revoc. don.* extra terminos ipsius extendunt, multi excipiant donationem, quæ fit ob causam, eamque non solùm præteritam, sed & futuram v. Cephal. *cons. 94. n. 3.* it. *cons. 445. n. 6.* Brunnem. *ad d. L. 8. n. 14. 15.* j. Dn. Stryck. *Ex. Jur. Feud. C. 22. qv. 15.* Jo. Wames. *cent. 5. cons. 38. n. 10.* Quod si quis non in conjugem, sed in aliam quandam personam ex his, quas §. *17. & 18.* recensuimus, donationem honoris causa contulerit, tum facilius, præsertim si res adhuc sit in integrô, repetitionem ob liberos supervenientes locum invenire posse largimur.

An revocari possit hæc donatio tanquam inofficiosa?

§. LVIII. In eô vero nulla est dubitatio, quod *arg. L. 1. & seqv. C. d. inoff. don.* etiam honoris causâ factæ donationes, si minuant legitimam illorum, quibus ea debetur, ab his, (dummodo ingrati non extiterint *N. 92. c. 1. §. 1.* nec præterlapsum sit quinquennium *L. f. C. d. inoff. don.*) revocari possint per querelam inofficiosæ donationis, non quidem in totum, prout

prout existimat Ant. Fab. *L. 3. conject. 17.* sed eatenus saltem, quatenus læsa vel diminuta fuit legitima ob *L. 2. L. 5. L. 7. C. dict. tit.* & plures rationes, quas habet Vinn. *Select. jur. quæst. L. 2. c. 33.* Consent. Dn. Svendend. *ad Eckh. tit. d. donat. §. 15.* Dn. Menck. *Select. Controv. Jur. Civ. Disp. 15. th. 21.* j. Tamburin. *Expedit. Jur. L. 9. Tr. 10. c. 6. §. 3. n. 3. seqv.* it. Trentacinq. *Var. Resol. L 3. Res. 4. n. 16.* Pariter de eô vix potest esse controversia, quod, si in fraudem creditorum facta sit ejusmodi donatio, per Paulianam actionem rerum donatarum restitutionem postulare possint creditores defraudati, eorumque hæredes *§. 6. J. d. act. L. 1. L. 10. pr. & §. f. ff. quæ in fraud. cred.* licet fraudis non particeps fuerit is, in quem talis donatio collata *L. 6. §. 11. ff. eod. L. pen. C. d. revoc. his, quæ in fraud.* id quod multò magis tùm obtinebit, si quid hôc modô fuerit donatum in fraudem fisci. *L. 15. C. d. don. int. V. & U.* j. Brunnem. *ad L. 4. C. d. revoc. don. n. 6.*

Vel tanquam in fraudem creditorum facta?

§. LIX. Quoties ob solam donantis pœnitentiam revocatur donatio inter conjuges ab initio non valida, eatenus saltem tenetur conjux, cui condicitur id, quod donatum fuit, quatenus tempore litis contestatæ locupletior ex istâ donatione deprehenditur *L. 5. §. f. L. 7. pr. L. 50. in fin. L. 55. ff. d. don. int. V. & U. L. 8. C. eod.* Hoc idem ita indistincte asseri non potest, si ob aliquam causam ex iis, quas in *§§. præc.* recensuimus, revocari contingat donationem honoris causâ factam. Nam si per condictionem causâ datâ causâ non secutâ revocatio fiat, donatarius obstrictus erit ad restituendum omne id, quod accepit, quamvis exinde locupletior factus non sit, idque ob naturam dictæ actionis, de quâ tanquam personali & rei persecutoriâ nusquam reperimus, quod in id saltem competat, quod apud reum existit. Si tamen e. g. uxor donaverit suo marito sexcentos ad impetrandum honorem, quem aliàs non petiturus fuisset, atque is ex dictâ summâ ducentos eum in finem jam erogasset, deinde vero citra culpam suam ad honorem istum non perveniret, damnum, quod per erogationem 200. thalerorum contigit, ad uxorem pertineret, nec ipsa per memoratam condictionem ultra 400. repetere posset *arg.*

An quoties revocatio locum habet, semper in solidum teneatur donatarius?

L. 50.

L.50. §.1.ff. d. don. int. V. & [illegible]. j. *L.5. ff. d. Reb. cred.* Quod si, quadringentis ab uxore honoris causa donatis, & trecentis saltem eô nomine à marito expensis, residui 100. per condictionē sine causâ secundum *§. 53.* repetantur, videndum est, an uxor declaraverit, quod ex summâ traditâ id saltem donatum voluerit marito, quod ad consequendum honorem ipsi necessarium foret, an vero citra talē declarationem simpliciter dictam summā ad honorem obtinendum donaverit. Hoc ultimo in casu (quoniam residuum, sive id, quod in honorem non fuit expensum, considerari debet tanquam nuda donatio inter conjugès ab initio non valida, adeoque ex solâ pœnitentiâ revocabilis) maritus ejusve hæres, secundum ea, quæ diximus in *princ. hujus* §. ad illius saltem restitutionem erit obligatus, quod ipsum reddidit locupletiorem. Priori vero in casu regulariter idem erit obseruandum, quod supra de eo casu diximus, in quô locum habet condictio causa datâ causa non secutâ. Si ob vitium ingrati animi revocetur hæc donatio honoris causâ facta, id saltem restituendum erit, quod ex rebus donatis tempore institutæ actionis apud reum existit *L. 7. C. d. revoc. don.* Ob liberos supervenientes si revocatio in hac nostra donatione non penitus denegari debet, minimum hoc ita restringendum esse videtur, ut ab eorum restitutione donatarius immunis declaretur, quæ ad consequendum honorem ab ipso ante motam actionem fuerunt expensa. Jo. Wames. *cent. 5. cons. 40. n. 11. seqv.* Aliud obtinet, si per querelam inofficiosæ donationis repetatur id, quod legitimam debitam deminuit; quandoquidem ejus intuitu his, qui læsi fuerunt, indistinctè satisfieri vult *L. 5. L. 7. C. d. inoff. don. N. 92. c. 1.* Pauliana actione institutâ, distinguendum est, utrum fraudis particeps fuerit donatarius, nec ne. Illo in casu omne id, quod ipsi donatum est, & adhuc penes ipsum deprehenditur, restitui debet, licet forte ejus intuitu expensas honoris causâ de suo fecerit, adeoque ex rebus donatis re ipsâ locupletior non existat; arg. *L. 7. ff. quæ in fraud. cred.* Hoc vero in casu in eum, qui liberalitatem accepit, hactenus actio erit danda, quatenus locupletior factus est, ultra non, ut sunt verba *L. 6. §. 11. ff. eod.* Iis tamen in casibus, in quibus conjuges vel etiam parentes atque liberi a se invicem repetunt id, quod honoris causâ donatum fuit, ita regulariter condemnationem fieri oportet, ne contra reverentiam vel amorem, debitum iis personis, quæ dicto modo conveniuntur, plus illis auferatur, quàm fieri potest salvis alimentis, sive necessariis vitæ subsidiis. *L. 17. L. 20. ff. de re jud.*

TANTUM.